TECHE UDINE

MANOSCRITTI

FONDO PRINCIPALE

Manoscritto n. **P_MSS_0790**

Nel Fondo Principale sono confluiti la maggior parte dei lasciti manoscritti pervenuti alla Biblioteca Civica «Vincenzo Joppi» nel corso del tempo: si tratta perciò di un fondo composito nel quale è possibile trovare manoscritti di argomento liturgico, scientifico, giuridico, botanico e altro.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine
https://www.techeudine.it/fondo-principale
https://www.sbhu.it/

Cronache Latine

-786-
At
-798-

J. Parthenopæ : De Bello Forojul.

790

Parthenopoei Jo:
De bello Forojuliensi

transcript. manu Basilii Asquini 1739

BIBLIOTECA CIVICA DI UDINE

De Bello Jerusalemi[illegible]

De Bello Foroiuliensi.

Auctore Ioanne Parthenopæo.

Qui Maris Superi Sinum incolunt, Veneti Patritia Gens, et uetustate originis, et claritate generis nobilissima est; quippe qui ex præclaris totius terrarum Orbis Proceribus oriundi sunt. Ac primo quidem Aborigines priores Italiæ cultores, quos Græcia a uetusta generis nobilitate Euganeos appellauit, Venetiæ loca tenuere. Inde ex Asia aureo adhuc sæculo florente uenere Tila, et Venetus, ac regionem illam, quæ ab ipso Veneto Venetia est, coluere, a Pado, cui nomen erat Eridano ab alio Tilæ, et Veneti fratre Eridano, nomine extenso ad Mediterranea usque loca usque ad ripas Tilauenti fluminis, quod ab ipsis etiam Tila et Veneto est appellatum. Post hos denuum ex Asia Atenor Troia iam diruta Paflagones et Henetos duxit, et cum Venetis Euganeisque rebus compositis, et affinitate inter Proceres iuncta, in gratiam priorum Accolarum, utramque gentem Venetos appellauit: unde Proceribus genitis omnis Veneta Regio præclaris familijs exornata, Urbesque, et Pagi conditi sunt. Florente uero Regione ipsa Heroibus passim referta Hunnorum Rex Athila in Italiæ perniciem per Istros descendit, Venetamque Regionem ferro et igne uastare primum cepit: et dum Aquileiam cæterasque Venetorum Urbes infesto exercitu obsidere parat, Regionis Proceres, ut

ras, ut ab hoste nauigijs carente tuti forent, in Insulas Adriatici Maris cum familijs concessere: et loci amœnitate, ac commodo, quia Infero, et superiori Mari paterat, capti, Urbium omnium nobilissimam condidere, eamque, et a ueteri Patria, et a maiorum nomine Venetias appellarunt; quo factum est, ut Optimates, qui ex toto Terrarum Orbe in unam passim Regionem prius conuenerant, diuinitus postea in unam Urbem coacti Patritiorum Regum conuentum effecerint: indeque Senatus Patritius Gentis Venetus, qui Christianæ pietati perpetuo faueret, et Maritimis rebus iura imponerat, ortum habuit. Patres igitur Veneti ad Imperium nati, et imperare a sua prima origine assueti, summa uirtute, et prudentia Terra Marique auxere Imperium: ac breui loca omnia in Veneta Prouincia hæreditario quasi iure uindicauere: ac mox ex Adriatico in Pontum egressi, Græcia, et Orientis Imperio potiti sunt. Maris quoque Inferi, quod Tyrrenum uocant, urbes multas iure belli obtinuere: et ulterius progressi nonnullas Insubrum Ciuitates, eiectis Tirannis, in suam ditionem adduxere: armaque in Galliam Cisalpinam, Picenum, et Apulos uictricia transtulere: et cum iam totius Orbis Principibus ob bellicam uirtutem formidabiles essent, anno a Partu Virginis octauo super millesimum quingentesimum bello petiti sunt a Maximiliano Cæsare, qui Foroiulij regionem multis prælijs primum affecit, et mox icto fœdere inter Iulium ab hoc nomine secundum Pontificem Maximum, ac Maximilianum ipsum,

et duos

et duos Francorum Ludouicum, et Hispanorum Ferdinandum Reges, totius Europe uires in unum Senatum Venetum insurrexere. Primum inchoati belli initium in Cadubrina regione fuit. erant tunc in proximis finibus ex Cesarianis presidij causa ad duo Armatorum millia, qui mox elatis signis Cadubrinam Arcem munito satis loco positam inuasere. Venetus uero Arcis Praefactus in ipso tumultu aufugiens Oppidum in hostium manus reliquit, ac se Venetias contulit facturus certiorem de ea re Senatum, qui mox decreuit Copias omnes, que circum Vicentiam, et Patauium erant, queque apud Iuliadas hybernauerant rapi ire duci Cadubrium, et ui hostium expugnata Oppidum recuperatum iri. Quam ob rem Bartholameus Aluianus ex Vrsinorum preclara Familia oriundus, qui tunc Venetorum auspicijs militabat, caterique exercitus Praefecti audito Senatus Consulto milites ire cogunt: et premisso celeriter equitatu, pedites subsequuntur. Ater, qui Patauio, et Vicentia profecti erant per agrum Belunensem tenuere: qui uero ex Foroiulio ueneVant, Tulmetanum Oppidum recta petiuere: demum omnes pari celeritate Cadubrium se contulere. Prodigia tunc in Foroiulio multa fuere: ac his ferme diebus, quibus Venetorum Copie proficiscebantur, Lunam sanguine aspersam attoniti mortales aspexarant: eodemque anno multis in locis Edes de Celo tacta, hominesque nonnulli fulmine exanimati nuntiabantur: Lupi in rabiem uersi humana corpora

pora laniasse, puerosque, et adultos, quos in agris reperis-
sent, deuorasse ferebantur: et tanta ignauia mortales
inuaserat, ut nec per ea portenta intelligerent lapsum
humano scelere diuinum Numen esse: oporteretque
rogationibus, et sacrificijs dira prodigia expiari, muta-
bant potius, nec eos resipiscere, et iram diuinam pla-
care moles peccatorum sinebat. Germani interim
milites, qui Cadubrinam arcem occupauerant, audito
primum ingenti hostium apparatu, et mox certiores
facti omnem eam belli molem in se conuerti, im-
paresque viribus relicto Oppido fugam serius arri-
puere; nam fugientes persequuti sunt primo Equites
leuis armaturæ, quos Nostrates à Græco nomine
Stradiotas uocant, ac nouissimum agmen ag-
gressi iter abeuntium interceptum impediuere,
quoad pedestres Copiæ uenirent. Germani, ut se
fuga impeditos uiderunt, nec aliter suæ saluti con-
sulere posse, intrepido consistunt animo, aciemque
eleganter instruunt, et sic persequentes hostes ex-
pectant dimicaturi. Cominus itaque fit ualidissi-
mus utrinque congressus: uerum cum ad primum
teli ictum Germanus Dux, qui acri prior animo manus
conseruerat, balistæ iaculo in fronte ictus occubuisset, re-
liqui milites Ducis casu perterriti ad terram prostra-
ti ueniam supplices rogabant, ac sese hostibus spon-
te dedebant armis proiectis; quos tamen Bartholo-
maeus Aluianus Præfectus, uir profecto crudelis, nolu-
it ut deditities accipere, sed ut hostes: et sicuti erant

acie

acie instructi omnes eius iussu ad mille, et quingentos ibidem trucidati fuere: quod facinus uti crudele admodum inter Christicolas omnibus uisum est: et postmodum causa fuit ut Germani ad Vicentiam aliquando uictores idem in Venetos milites in suorum ultionem fecerint, ut de hac strage alibi dicetur. Ab hac igitur ad arcem Cadubrij, quæ Germanorum præsidio tenebatur, expugnandam Venetus exercitus adductus est, et commissa cum ijs pugna, qui arcem Maximiliani nomine tuebantur, tandem Oppido potiti præsidiales omnes ad unum trucidati sunt ac tota Cadubrij regio, quam uulgo Plebem appellant, recuperata. His ita gestis, et positis in arce præsidijs, Venetus exercitus ductoribus eodem Aluiano, nec non Georgio Cornelio Veneto Patritio, qui rebus exercitui necessarijs præerat curandis, Utinum Cadubrio commigrauit. Erat tunc Utini Præses Andreas Lauredanus uir solertissimus: hic non solum Patriam hanc Foroiliensem legibus moderabatur, sed etiam res bellicas cum Ducibus ipsis tractabat. Consulunt itaque de rebus agendis, et quo præcipue in loco poni Castra deberent. Duæ erant inter Duces sententiæ: altera penes Marzanum: altera uero Tricesimi Castra poni suadebat. Præualuere tandem, qui locum Castris Tricesimi elegerant, ea de causa quod commodius illis esset ad res peragendas, Cadubriumque tuendum si rursus adortum fuisset; eo namque nouas Germanorum

copias

copias arbitrabantur recursuras. Quare igitur totam fere Quadragesimam ibi exercitus stationes maxima cum iactura non loci illius tantummodo, sed finitimarum quoque uillarum, et præcipue Pagi Reanæ, ubi nostræ ædes sunt. Nec interim a crebris incursionibus in agrum Ciuitatensem Cormonenses abstinuerunt, homines inde, et pecora captiuando, et omnia hostilia faciendo: et quamquam fuisset eis pluries amicis Ciuitatensium uerbis nunciatum, ut se ab huiusce iniurijs abstinerent; ipsi tandem instando nouas insidias, nouasque res moliebantur. Quare fessi tandem tot malis Ciuitatenses Legatos ad Duces Veneti exercitus misere, querentes de damnis sibi a Cormonensibus illatis. Duces uero consulto prius per litteras Veneto Senatu ex illius decreto totam belli molem ex uicinis locis, et pagis in Cormonenses conuertere: et mox electo ad id apto loco in patenti planitie, quæ Marsura dicitur, prope sacellum Diui Nicolai de Primulaco in agro Reanensi, non procul Tricesimo statuit Alcianus totum lustrare exercitum, quo iussi conuenere cum legionibus omnes totius exercitus Duces, et Præfecti, a quibus acies instructæ fuere, hinc Peditum, atque hinc Equitum. Loricati uero, quos cataphractos uocant, genus est equitum grauis armaturæ, et quorum quidam non paruus inerat numerus, agmen suum a cæteris in eadem planitie constituerant, cumque ab alijs tertium tenebant: uidebanturque tria esse agmina hostilia tribus diuersis locis in eadem esse planitie.

nitie. Nam et inter se exercitij causa, quasi cum hostibus prælium inirent, concursabant, præbebantque iucundum intuenti spectaculum, ad quod de condicto conuenerant fere omnes Utinates, Ciuitatenses, et Castellani: et ut mihi liceat pluries alias experto in bellis Neapolitanis, pulcherrimum omnium uisum fuerit intueri tot, tantaque cum peditum, tum equitum concurrentia agmina; ita cæteri, qui aderant huic ludicro se nihil unquam pulcrius uidisse affirmabant. Erant Pedites septem millia: Equites uero leuis armaturæ ad duo millia: Cataphracti, qui totius exercitus robora æstimabantur, ad tria millia fuere. Operæ pretium fore arbitror hoc loco ennarrare quod ea die uiderim de equite quodam leuis armaturæ ex Pago prope Purlilias in ditione Comitum Purliliensium. Is fuerat paruulus hinc abductus ad Orientis plagas a Turcis, qui annis superioribus in Patriam Foroiuliensem hostiliter incursauerant, prædasque ingentes, et captiuos quamplurimos inde abegerant, edoctusque equitare, iaculari, et alia eiusdem generis exercere, quibus maxime Turcæ equites delectantur; tantumque profecerat eo ludicro, et arte, ut mirum fuerit intuentibus aspicere, quo se modo agebat ex equo. nam dum equus totis curreret habenis Eques ipse saltu celerrimo, modo ad anteriorem, modo ad posteriorem equi partem se prouoluebat: et pro habenis, quas nuper manibus tenuerat, postilena uella uti uidebatur: eundemque insiliendi modum agebat cum

bat cum adeo saepe, et celeriter, tum apte, ut homines paene attoniti prospicerent illum saltu versum modo ad caput, et mox ad caudam equi quam ocyssime currentis faciem habere: et sicuti hanc, aut illam partem saliens facie appetebat, ita sagittas nisu quam maximo emittebat ex arcu ad certum signum: adversumque quod erat refugiente equo certius feriebat, ut nec stans certius ferire posset: quin ipso etiam velocissime currente equo tanta modo prosiliebat, modo ascendebat celeritate, ut non prosiluisse, at ascendisse, sed evolasse eum quis existimaret. Interdum vero aut genibus, aut plantis stans inhaerebat equi dorso erectus, lanceaque, et clypeo pugnam simulabat: nonnunquam nudum ensem ovare gestiens, arcu, et sagittis acerrime bellum inire fingebat currente interim equo, quam insidebat quam ocyssime, iacens toto equi dorso supinus equum ipsum celerrimo cursu agebat. Haec omnia magna adeo agilitate, et ludicro exercebat eques ipse, ut omnium oculos, et mentes ingenti cum admiratione in se unum converteret. Sed ad id, quod instituti nostri est videamus. Alvianus ipse eodem anno circa dominicum Palmarum diem versus Foritiensem agrum castra movens eodem die in Manzani vico exercitum omnem constituit, maximo quidem cum damno nobilis Manzanorum familiae; nam quicquid vini, ac tritici, aliarumque omnium supellectilium, ac generis cuiuscumque animalium, quod ibi extiterat per milites direptum, atque consumptum est. In ipso autem sequentis diei crepusculo ponte su

per Na-

per Natisonem, qui fluvius in illis labitur partibus iniecto propter peditum faciliorem transitum, totus mox Exercitus ad ulteriorem ripam deducitur; et iumentis appositis quam pluribus pariter transvehitur totus belli apparatus, ac bombardarum, et aliorum tormentorum quicquid erat. Exercitui etiam, qui iam traiecerat, coacti rustici ad duo hominum electorum millia adduntur: sed et eorum, qui nec electi, nec iussi sponte sua in castra venerant, allecti spe prædæ, multitudo maior sequebatur. Ita adauctis copijs Alvianus per Villamnovam recta proficiscens Marianum petijt: et cum rumor palam esset Exercitum eo itinere Goritiam profectum ire, Copiæ omnes mox divertentes ad montem, cui Cormonis Castellum imminet, se recepere: eodemque die tormenta bellica, et bombardas, quibus Oppidum dejiciendum foret iumentis pluribus ad prominentem montis, qui Quirinus dicitur, apicem adducere, arcemque ad adversam direxere faciendam: et Copijs divisis, equites in campo patenti, qui Goritiam inter, et ipsum Cormonis Oppidum medius iacet, custodiæ causa ab ea parte positi sunt: Pedites vero ad montis radices circumducti undequaque diffundebantur, ac locum ipsum in coronæ modum circuiere. Qui vero ad Arcis præsidium erant, eodem die parum ante solis occasum, eruptione facta, cum hostibus prælium commisere: et auxilio Oppidanorum, qui suis ex Arce prorrumpentibus suppetias venerant non nullos ex hostibus peremerunt, inter quos fuit Andreas

quidam

quidam ex Romandiola, qui primum pilum in exercitu obtinuerat, et cum ita ipsum lorica pulcherrima exuerunt, ac se incolumes in Arcem receperunt. Postea autem circa sextam eius noctis horam captum est horrendo bombardarum strepitu Arcem ex Quirino percuti; quibus frequentissimis ictibus murij pars, quę Quirinum aspexerat ante horam diei tertiam locis plurimis solo ęquata est, et aditus per apertas ruinas, et foramina patefacti. Dum Alvianus dato ad prę: lium signo suos ad ingressum hortatur: qui mox ruunt, alij per loca deiecta festinantes ingredi, alij vero ubi altius fastigium videbatur, scalis appositis ascendere conabantur. Sed qui in Arce erant diversis telorum generibus locum tuebantur; nam hinc sclopettis, hinc arcubus, aut balistis, hinc lapidibus, aut pilis, alijsque missilibus vim hostium, ex quibus plerosque peremerant, intrepide arcebant. Sed tandem victa est Pręsidialium pertinacia, qui hostilem impetum iam sustinere nequeuntes sese ad interiorem Castri partem receperunt. Pars vero ea, quę a fossa versus Quirinum collem respicit, capta est, et in ipso primo hostium ingressu quotquot reperti sunt trucidati: et inter eos unus ex ipsius loci Optimatibus, cui erat nomen Georgius de Cremona, pluribus ictibus confossus obijt. Ceteri vero, tam milites pręsidiales, quam Oppidani, qui se ultra fossam interius receperant ad Turrim quamdam, ac ibi Matronas omnes loco tamquam tutiori recluserant, deie-

ctis se

ctis a Turri signis ueniam postulantes deditionem fece-
re, et ad Prefecti arbitrium omnes acceptati sunt, ac mox
in uincula coniecti: Fęminę ipsę fere omnes, et prę ca-
teris Matronę, in earum pudicitiam seruatę, ac iussu
Ducum, et Prefecti in Ecclesiam omnes deductę, inqui-
sitę prius an pecunias, aurumque, aut argentum ue-
stibus occultassent: quod repererunt, eis abstulere: ce-
terum, incolumes ut irent permisere. Tum bona Oppi-
danorum direpta, et prędа militi data absque ullo
discrimine, aut inquisitione cauentne in bonis dire-
ptis bona eorum, quas proximis incursionibus Cremo-
nenses deprędati fuerant ex Pagis, et locis Venetę di-
tionis, ut ius suadere uidebatur, scilicet, ut sua qui
nouissent, reciperent. Maiorem ibi communi prędam,
quam quod credi uix posset, aut locus capere uide-
retur repertam fuisse, istam qui rem accuratius palam est: nam
inspexerant pro indubitato tradidere; congestae e-
nim asserunt in eo Oppido fuisse bona ualoris plu-
ris quam ducentorum millium Aureorum: quod
nec incredibile uidetur, quandoquidem belli princi-
pio omnes Foroiulienses eo sua bona congesserant.
Erant pręter tritici, et uini, aliarumque huius gene-
ris, quę ad esum pertinent, annonam, pręterque ue-
stes pene innumeras, cum laneas, tum lineas, ac se-
riceas, Vasa plurima aurea, et argentea, aliorum-
que metallorum, monilia quoque et torques, ac a-
lia pręterea muliebris munditię ornamenta: supel-
lectilia

lectilia, ac utensilia, et gemmæ, ac multa alia pretiosa monilia, quæ, aut Cormonenses eo ex præda convecaverant, aut finitimi Accolæ: etiam qui ex Veneta ditione attinentia loca incolebant, metu instantis belli ad id Oppidum tanquam ad munitum præsidium adduxerant. Signati æris tantam ibi fuisse copiam quidam tradidere, ut victores ex abiectis, quæ vilissimi valoris essent, monetis, ut obolis, et bizantijs, vel onera fastidientes, vel pretia floccipendentes, totam passim viam, quæ Cormone Marianum tendit, sevisse quis censeret. Captivis omnibus, ut se pretio redimerent, potestas facta est. Erat inter captivos illustri loco natus Daniel de Floiana, quem Floianiger appellabant, maioris celsium parti dirannus, qui postmodum aureis octingentis persolutis liber dimissus fuit. Capto igitur Cormonis Castro, impositoque Ruralium Regionis Iuliadæ præsidio Exercitus ingenti præda onustus, Marianum primum, indeque Gradiscam deducitur: et erecto ibi, ubi Mainizza dicitur, ligneo ponte, Peditatus omnis trans Sontium deductus est. Equites ipsi per vada æquioris amnis maximo cum incommodo ob aquarum rapacitatem, et altitudinem, nantibus potiusquam reptantibus equis transnadarant: indeque toto cum Exercitu progressus Venetus non antea constitit, quam in Goritiæ suburbium, quod ad meridiem est se reciperet: ibique loco aperto fir-

matis

matis signis, et bombardis expositis, alijsque tormentis, et quod machinarum erat ad diruenda mœnia, Goritienses per Caduceatorem de deditione interpellavit. Quibus omnino se dedere recusantibus, Oppidum ingenti impetu, ac crebris tormentorum ictibus oppugnare, atque prosternere orsus est. Milites vero, qui in Arce præsidij causa fuere numero octingenti cum Andrea Lectistaynero eorum Præfecto, se interim præsenti animo tuebantur, brevique temporis spatio plurimos ex hostibus telis, sclopettis, alijsque missilibus peremerunt. Nec eo, aut sequenti die memorabile quicquam gestum est, Levia tantum certamina fuere in quosdam, qui ingredi loca prærupta attentabant, et in eos, qui se intus tuebantur: quibus quidem congressionibus plerisque ex Venetis cæsi aut saucij fuere. Ex Præsidialibus etiam cecidit Leonardus Dorimbergius, et cum eo perpauci, qui se pertinaci animo hostibus ingredi enitentibus opposuerant: ac tum post multa illata, acceptaque vulnera, et cædes hostes recedere sunt coacti. Postmodum vero Senatus ira accensus, quod esset ignominiose rejectus, et propterea oppugnationem naviter prosequi ratus, iterum maiori quam antea impetu non muros tantum Oppidi, sed ædes etiam omnes quæ muris supereminent bombardarum ictibus, et iactu deijcere iussit: qua tandem clade perterriti cum Oppidani tum milites præsidiales et videntes se ultra tueri non posse, et iam Oppidum oppugnatum iri, colloqui cum hostibus petiere. Quare intromissis quodam Joanne Hispano, qui Veneto Senatui militabat

tabat, et altero Ioanne Scarsaburcia Civitatensi, cui cum Lectistaynero uetus erat hospitium conuentum est cum ijs, qui erant in Arce, ut Præsidium omne cum eius Præfecto Lectistaynero liberi recederent, equos educerent, arma, ac res suas omnes asportarent: ac insuper ut Veneti duo Florenorum millia Præsidialibus ipsis soluerent impræsentiarum, ob stipendia sibi a Cæsare non soluta: quibus, ut erat conuentum, mox persolutis Lectistaynerus cum suo Germanico præsidio statim per medias hostium stationes, Oppido tradito, abijt incolumis. Hoc igitur modo Venetus Goritia potitus est, ac una omnibus, quæ uel in collibus, uel alibi sunt, municipijs, locis, ac pagis Goritiæ subiectis, quæ omnia Venetus prædatus est, et præter prædam rerum omnium, homines quoque quamplurimos duxit captiuos, quibus se pecunia redimi illico concessit, quia recouiri ex Præsidio Germano solutum eo modo uolabat. Posthac Venetus Tergestum Goritia proficisci orsus, medio itinere Duinum, atque Pisinum expugnauit, ac tandem sub ipsis Tergestinæ urbis mœnibus castra posuit, quo iam maritima Venetorum Classis conuenerat, ut Tergestum terra marique oppugnaret; et iam undequaque Oppidum ingenti bello premebatur, murique hinc a terrestri Exercitu, hinc a maritima Classe Bombardarum aliorumque tormentorum ictibus, et boatu terrebantur: Turres quoque, et ædes multæ conquatiabantur. Tergestini cum per dies multos oppugnationem intrepido animo sustinuissent, multosque ex hostibus toto eo tempore peremissent, nec

se ultra

se ultra tueri posse arbitrabantur, suæ urbis deditionem facere, qui ea conditione sunt accepti, ut decem Aureorum milia, quæ inter tot annos pensionibus solverent, quod postea cum ingenti eorum pernicie actum est: eaque omnis pecunia fuit inde Venetis militibus soluta, et inter eos divisa. Ad Arcem deinde Lucinis, quæ populato iam inferiore adhuc præsidio Cæsariano tenebatur, profectus est Venetus, éamque inter paucos dies compulit ad deditionem. Pari etiam fortuna fuerunt multa alia Bergestinæ, ac Goritianæ Urbibus subiecta Oppida, et inter ea Reiffembergum, in quo Castellanus Præses, et omnes, qui erant in præsidio milites obtruncati fuere. expugnata quoque sunt Sancianum, Vipaccum, et Castrumnovum: Postoinam inde, quo se plerique Cæsariani Equites receperant: Castri illius custodiæ causa totus exercitus Venetus est deductus. Ibi nonnulli Duces Cæsariani, qui Equitatui præfuerant, hostes repente ex insidijs aggressi in fugam vertere, ac loco cedere coegerunt: et pluribus interfectis aciem dissiparunt. At ulterius progressi Castrum de Prithe ceperunt, multosque, qui locum præsidij causa tenebant captivarunt, inter quos captus quoque est Vir strenuus, et genere, et virtute clarus Hieronymus Savorgnanus, qui etsi ab hoste ut hospes acceptus sit, et bene habitus; postmodum tamen se redemit duobus Aureorum milibus. Venetus post hanc cladem nihil perterritus animo ingenti bellum prosequebatur; R. . . . . et loca alia, quæ amiserat, in suam potestatem mox redegit: ac rebus

suis con-

suis consulens Præsides Urbibus a se captis constituit,
nam Tergesti Prætor est designatus Franciscus Capellus
Eques, qui se adeo severe gessit in Magistratu, ac Ter=
gestinos tot tantisque affecit iniurijs, ut postmodum
de male administrata provincia apud Venetum
Senatum accusatus, reus repetundarum omnibus
suffragijs damnatus sit, et coactus, et coactus se abdica=
re a Præfectura, nec inde unquam ad Magistratum
aliquem assumi licitum est: quam ob rem reliquum
quod vixit tempus, inter privatos ignominiose ges=
sit. Goritiæ etiam Præfecturam tunc habuit Petrus
Venerius, Vir sane perspicuus et morum honestate,
et vitæ integritate: Is, ac una Alvianus ex Sena=
tus Consulto Goritianum Oppidum latioribus, et va=
lidioribus muris circumduci curavent: ac primo qui=
dem Arcem edito satis loco positam ampla muri
crassitudine circumdedere: turres quoque nonnul=
las, et propugnacula ad hostium vim, si quando
opus esset, propulsandam, locis aptis erexere: Et ne
quid in mora esset celeritati, ac ut opus cæptum se=
dulo perfici posset, omnes Provinciæ Fabri in man=
datis habuere, ut mox adessent, ac operæ instarent:
et præter eos lixas omnes, et quibus excavare fossas,
aliaque ruralia exercere mos est. Et non ex Foroiu=
lio solum, sed ex Tarvisinis etiam pagis ingentem
hominum multitudinem ad illud opus cœgere:
ac tunc ea fossa, quam incolæ vetere suæ gentis
sclavoniçæ vocabulo Trappam appellant, interiores

Goritiæ

Goritiæ uicos uicumiens excauata fuit. Quibus gestis Venetus exercitus dissoluitur: ut tamen Tergesti Castrum, Oppidumque Goritiæ firmam custodiam haberent delecti, appositique sunt stipendiarij pedites, quibus ne amoto iam belli metu otio marcescerent, iniunctum est aggeres struere, aliaque facere, quæ ad illorum locorum munimenta opus essent: qua sedulitate actum, ut paucos intra dies pars Goritiæ superior, quæ orientem aspicit, aggeribus latis terra lignoque contextis circumducta sit: quo si ab eo latere muri debiliores Lombardis peterentur, ac forte icti corruerent; totum tamen Oppidum aggeris illius appositione se tueri adhuc posset. Hæc eo anno, sicuti annotauimus, gesta sunt.

Annus nonus supra millesimum quingentesimum et fœdere inter totius Europæ Principes in Venetum nomen inito, et multiplici rerum uarietate insignis fuit: quare digrediar parumper, et causas annectam, quibus et fœdus ictum est, et quæ tanti fœderis fuere conditiones. Igitur Cæsar Maximilianus huius nominis primus, occulto ardebat odio in Venetos, quod proficiscenti sibi ex Germania in Italiam ad Imperij, ut moris est, possessionem adipiscendam, aditum Veneti præclusissent, ne suos fines cum exercitu attingeret: ac superbi interminati essent, si inermis uellet Cæsar iter facere daturos se ingressum; sin aliter armis prohibituros eo responso irritatus Cæsar odio in Venetos excanduerat, quam in Venetum nomen

tum Roman perniciem parturijs. His accessit, quod su=
periori tempore ingens bellum exstiterat inter Insubriæ
Principem, et Venetos, quare Insuber adversis prœlijs atri=
tus ad externas Turcarum opes confugerat, et per Libur=
niam pacato itinere, annuente potius, quam prohiben=
te Cæsare in Forum Julij decem equitum millia duce
Scandero adduxerat, et totam Forijulij regionem cladi=
bus affecerat, urbemque Utinensem in discrimen adduxe=
rat; nam nisi a suis civibus egregie defensa fuisset,
præda hosti, sicut cætera Fori Julij loca, extitisset. Nam
tunc Martinus de Vincentibus per portam Gemonen=
sem, cui præerat custos cum paucis militibus eruptio=
ne facta Turcas ingredi nitentes in fugam vertit:
quare perfecto eo bello Ducalibus Litteris, alijsque
muneribus honoris gratia a Veneto Senatu donatus
Familiæ suæ Nobili Utinensi a Porta, cui nunc eius
cognomen dedit. Marcus quoque Susana, cuius eti=
am hoc bello clara facinora fuere, per portam Cuiso=
tensem cum equitibus non amplius quinquagin=
ta erumpens exterritum Turcarum agmen longi=
us persequutus est: et hostibus multis trucidatis
cæsorum capita hastis affixa in urbem retulit,
ob eaque Decreto Publico aureis monetis virtu=
tis gratia donatus est. Cæterum Turcæ ulterius
progressi Liquentiam amnem transiverant, cum
de Insubris morte certiores effecti pedem celeri
gressu retulere, ne a Venetis interciperentur, ac fu=
giantium

fugientium magis, quam abeuntium more, eadem, qua uenerant uia, in suos fines reuersi sunt. Veneti Patres ea iniuria ab Insubro accepta irritati; nam ut Auctor est Candidus, decem hominum millia ua: rijs casibus in Foro Iulio tunc periere, Insubriam maiori quam antea bello pressere, ac multis cladi: bus affecerunt, urbesque nonnullas iure belli obti: nuere. Interim uero nondum pacatis in Insubria rebus, Ludouicus Gallorum Rex, qui Venetis ad eam diem coniunctissimus fuerat, dotali, ut asserebat iure Insubriæ principatum adeptus, mutato ani: mo, Venetos ut hostes occulto insectabatur odio, qua de causa Veneti huius Regis arma dudum suspecta habuerant. Iulius quoque ab hoc no: mine Secundus Pontifex Maximus, et Hispaniarum Rex Ferdinandus Europam querelis oppleuerant, quod Veneti nonnullas Ecclesiæ Urbes, et Regni Par: tenopei iniuste detinere: quam ob rem occasionem tunc nactus Pontifex, quæ inter Cæsarem, et Gallum erant dissensiones Legationibus utrinque missis tollere primum decreuit: hortatus inde Cæsarem uti cœpturi iam in Foro Iulio bellum naviter pro: sequeretur, Legatos in Germaniam, Gallias, et Hi: spanias misit Cardinales, uiros quidem summæ auctoritatis, ingenij, et prudentiæ, qui de fœdere ine: undo cum Cæsare, et Regibus agerent. His ita

actis

actis libere horum Principum Legationes cum mandatis Cæsarem, qui in Flandriam tamquam ad locum ea de causa dictum conuenerant, adiuere: ibique multis dictis audiitisque sententijs Gallus Orator longissimam in Venetum nomen habuit inuectiuam, quam ne hic recenserem, indigna Veneti nominis opprobria facere, Decretum tandem est omnium consensu uti sub communi fœdere bellum Venetis indiceretur, Fœdusque ascriberetur, quod hisce conditionibus astipulatum ascriptumque est. Vt Gallus exercitum in Italiam mitteret, sibique uendicaret Cremonam, Bergomum, Cremam, Brixiam, aliasque nonnullas Galliæ Cisalpinæ, quam Lombardiam uocant Ciuitates, et loca, quæ ad Insubriæ Principatum spectarent: ut Cæsar bellum in Foroiulio inchoatum prosequeretur, ac regionem ipsam, et una Patauium, Veronam, Vicentiam, et Taruisium suo arbitratu armis reciperet: ut Iulius Pontifex Rauennam, Ceruiam, Ariminum, Pisaurum, et Fauentiam Ecclesiæ reciperaret: Hispanus autem Tranum, Brundusium, Monopolim, aliaque Regni Parthenopæi loca armis redimeret. His igitur legibus ictum fœdus postquam Venetis innotuit, Patres Conscripti sibi consulere cœperunt, ac uias excogitare, quibus Fœderatos, aut eorum quempiam a Fœdere retrahere possent: quod nequicquam tentatum est, tum quia iam conuenerant Fœderati de Vrbibus, quas cepissent diuidendis, tum quia Fœ-

dus

dus sanctissima iurisiurandi religione firmatum erat, a quo sine periurij labe recedi non poterat. Secundum has leges Pontifex Maximus a matre Religionis primum coepit Venetos urgere ad Urbes Ecclesiæ dimittendas; nam grauissimas in eos Censuras, quæ tremendo a religione uinculo seiungunt, in eos ut contumaces edixit, nisi infra certum tempus quicquid locorum, ac urbium, quod esset Ecclesiastici iuris restituerent: quin Templorum ingressus Missasque ac cætera Diuina celebrare apud eos edicto anathematis prohibuit, et qui celebrasset, pari censura ligabat. Gallus uero, et Hispanus Reges missis ad id Caduceatoribus, quos nostrates uocant Araldos, loca nuper commemorata, ut sibi redderentur postulant, negantibus bellum indici iusserunt. Vere igitur, quod lapsa hyeme proxime apparuerat, Gallus, sicut pepigerat, maximo cum exercitu Italiam ingressus est: ac Alpibus superatis Mediolanum usque peruenerat. Veneti uero Nicolaum cognomento Pitilianum genere Romanum ex nobilissima Ursinorum Familia oriundum suarum copiarum Ducem, et Imperatorem creauere, ac cum toto equestrium, et Pedestrium exercitu præmisere, ut Abduam fluuium transgredi parantibus obstaret. Iamque ad ulteriorem amnis ripam transituri appulerant Galli; cum Venetus a citeriori

se mature

se mature opposuere, ne transirent, ripa. Medius in=
ter hostiles acies erat fluminis alueus, ac uterque
exercitus hic, ad transuehendum, hic uero ad obstan=
dum intentus erat. Galli tandem locum habilem na=
cti   Oppidum uersus per pontem noctu erectum
composita acie, et exercitu instructo, ac ad pugnam dis=
pus esset parato amnem transierunt. Venetus, ut au=
diuit, properat, nititurque priusquam uado exiret
hostes, impedimento esse. Galli superato per tenebras
amne incedebant quadrato agmine, et seruatis ordini=
bus, unde iam in ipso itinere ostendit se Venetus. Tum
ut propius uentum est pugna ingens committitur.
Erat forte media inter utrumque exercitum quæ=
dam praegrandis fossa, ex qua Galli per occasionem
sua tormenta, ac bombardas astu locauerant, in=
deque Venetos pedites miserabili cæde prosterne=
bant. Post hanc uero editam bombardarum stragem
fit mox utrinque equitum concursus, ac misceri
inter ses ad pugnam exercitus hostiles, et cominus
manus conserere ceperunt. Atrox prœlium fuit, ac
per oras quatuor acerrime ab utroque pugnatum
fuit, ac multi mortales cæsi: et diutius certatum
esset, ni Veneti milites, qui in subsidiis fuerant pa=
rati, et qui in aciem steterant, ut dato signo labo=
rantibus suis mox succurrerent, audito tubæ eos
ad suorum subsidia euocantis clangore hostem adeo=
se credentes, mox terga uertissent, ac se se in fugam
praecipitia

præcipitu iterum dedissent. Quare cæteri qui bellum inierant, Veneti, a Gallis profligati sunt. Multi eo prælio capti, plures cæsi; sed eos, qui aufugerant, Venetos Gallus uictor insequutus, non prius destitit, quam totus Venetorum exercitus fusus, ac fugatus fuerit. Qui eo prælio superfuere Veneti Brixiam, aut Cremonam proximas urbes se recepere: plures uero, qui se minùs tuti in ijs locis existimabant, cæteris fugâ ulteriùs progressi Piscariam petiere. Post hanc pugnam, qua Venetorum uires comminui uidebantur, quidquid ultra Piscariam possederant Veneti, Cremona, Caravagium, Bergomum, Crema, Brixia defecêre ad Gallos, ac se uolentes dedidere. Capti eo prælio sunt Petilianus Venetus Imperator, a una Aloysius Mula, et Zaccarias Contarenus Provisores Veneti Patritij: et præter eos in deditis numerabantur Præsides, Præfecti, alijque Magistratus, qui Arces tenuerant, quorum nomina, et numerum recensere longum esset. Hi omnes ad Regem captiui deducti in custodiam traditi sunt. Rex inde in Piscariam profectus, ut Oppidum illud ualidissimum expugnaret, in quo pedites erant quingenti præsidij causa, et eis præfuerant duo Veneti Patritij, petijt uti se dederent. Sed illis recusantibus Oppidum bombardis aggreditur, professus se Piscariam nomine Cæsaris expugnare: quam cum ui tandem obtinuisset, quotquot ibi reperti sunt milites, obtruncati fuere, præter paucos, qui capti, et in uincula traditi, se postmodum pecunia redemere.

Præses

Preses uero Venetus, qui inter tumultum capti Oppidi aufugerat, cognitus, ac ex fuga abstractus furca ut hostis suspensus est. A primo certamine circa Abduam facto ad diem captæ Piscariæ in recensendo numerum eorum, qui cæsi sunt, sequutus sum eorum fidem, qui adfuisse dixerant. Illam pro certo affirmare quod ipse non uiderim, me ausum non esse fateor, ne pro certo quis incertum accipiat. Relatum igitur est ex uictori Polonorum exercitu decem hominum milia cecidisse, quo damno irritatus Gallus uictoriam segnius insecutus est: ex Venetis autem ad quindecim milia cæsos esse, preter captiuos, quorum non paruum fuisse numerum compertum est. Rex Gallus captis Vrbibus ipsis, rebusque, ut fœdere ascriptum erat, naviter perfectis, aut quia preter fœdus facere noluerat, aut quia nihil sibi negotij amplius esse existimauerit, non ultra progradi ratus, uictorem exercitum Mediolanum reduxit: eamque Vrbem, ut Romam solebant Imperatores deuictis gentibus, triumfans inuectus est. Veronenses auditis tot Venetorum cladibus, et iam conclamatum de eorum Imperio existimantes, sibique a Fœderatis timentes, mox inito inter se consilio Magistratus Venetos, qui in eorum Vrbe fuerant, amicis uerbis, ut inde recederent hortati sunt: quibus ita emissis Imperiale Vexillum mox eleuarunt, ac sese Vrbemque suam Cæsari tradidere: et mox Veronam profectus Tridentinus

Tridentinus Episcopus ea totius Civitatis assensu Maximiliani Cæsaris nomine potitus est. Veronensium vestigia secuta Vicentia, et Patavium dimissis Venetias, qui sibi præfuerant, Magistratibus ad Cæsarem defecerunt, etsi nullum in ipsis Cæsareum Præsidem eo tempore fuisse constat, præter quendam ex nobili Trissinorum Familia Vicentina nomine Leonardum. Is dudum exulaverat gravissimo crimine, erat que capitis damnatus a Venetis, quare ad Germanos, a quibus comes susceptus fuit, deportatus appulit: et dissipato ad Abduam Venetorum exercitu Regias partes secutus fuerat, ac tum, licet Regis procederet Vexillo, Vicentiam primum, Patavium inde ingressus est, et portis patefactis alacri animo ab utrisque his civitatibus acceptus fuit, Cæsaris tamen nomine, et ingenti omnium applausu Præses salutatus. Tarvisini quoque audita Vicentiæ et Patavij defectione in tanta rerum perturbatione non quievere, nam coacto suæ civitatis concilio Oratores quamplures electos ad Leonardum Trissinum misere statum, ut eos sub Cæsaris Maximiliani auspicijs deditos acciperet. Nondum Patavium ad Trissinum eorum Legati venerant, cum Tarvisinos ipsos iam pœnituerat, quod egerant: quare mutata mox sententia Venetum, quem nuper ejecerant, Magistratum in urbem revocarunt, ac rursus se Veneto Senatui tradidere: eoque modo Tarvisium urbs, quæ iam defe-

carat

cerat, per quos facta erat defectio Venetis est restituta.
Interim Leonardus de Trissino, qui summum in Pata=
uina urbe Cæsaris nomine gerebat imperium, et felici=
tate successus iam ubique apud Euganeos magnus
habebatur, auxilium a Cæsare per literas quotidie fla=
gitabat, quo, et urbes, quas inuaserat, tueri, et fines la=
tius propagare posset. Sed cum serius Cæsar postulata
facturus uideretur, et diuturna auxilij dilatio Vene=
tis animum fecisset, rati priusquam ex Germania Copiæ
Trissino irent suppetias, moliri aliquid posse, statim
Andream Gritti Virum summæ inter Patritios aucto=
ritatis, qui uariâ fortunâ functus, denique ad Rei=
publicæ Principatum ob uirtutem a Patribus Conscri=
ptis assumptus fuit, decernunt cum exercitu ad Pa=
tauij expugnationem. Is igitur collectis undique
copiarum ad Abduam fusarum reliquijs, quarum
pars magna Patauio, Verona, Taruisioque confu=
gerat Venetias post cladem illam, pars tempore ea=
rundem Vrbium expugnationis ad tutiorem quasi
locum se receperant (nam alibi consistere uetaue=
rat metus) in agrum Aquileiensem, eo, ubi Ceruini=
ani Insula dicitur, conuenere; ibi namque ad ipsas
reliquias conseruandas, et constituendas tutior quam
alibi locus uisus est; nam nec Galli post uictoriam
ultra Piscariam processere: ideoque tuto ad ea tem=
pora perterrita, eius exercitus reliquiæ, aut prope
Venetias in Mestrino agro, aut in Foroiuliensi
Patria, donec reciperent animum delituerant. Eas

igitur

igitur omnes Andreas Gritti, ac unus Nicolaus Patilia-
nus, qui se a captivitate exemerat in unum coactis
ad Patavium redimendum adducere statuunt. Pata-
vini interea lingua, quam viribus ferociores in Vene-
tos probra dicere, verbisque, cum re non possent, sae-
vire, animumque, quam dum Venetis subjiceban-
tur, habuerant, contendunt demonstrare: quare plu-
res edicta, pluresque leges in Venetum nomen edide-
re: et inter caetera Decreto caverunt, ut quicquid rei
Venetis esset in finibus Patavinis, id totum proscri-
beretur, ac sub hasta veniret, et in aerarium pecu-
nia redigeretur. Quod ubi Venetis innotuit, Legatum
mox ad Paduanos misere quemdam Senatus Scribam
exoratum ne id facerent, hortatumque ut melius
omnia perpenderent: cogitarentque volubilem esse
humanarum rerum fortunam. Ad eas Paduani, in-
flato ut erant animo, respondere Venetum Oratorem
satis obtinuisse, quod non sit ab eis furca suspen-
sus, idque non Venetis, sed iuri gentium concessum
iri affirmabant. Erat Paduanis omnibus maxima in
Venetos animi labes, ut ne quis eos unquam Prin-
cipes, sed Patavinorum adscriptitios asseveraret. Hac
igitur de causa Veneti Patavinos ingenti odio pro-
sequebantur, iramque omnem in eos evomere, si
fieri posset, cupiebant. Quam obrem relicta caetera-
rum circa Urbium cura Andreas Gritti occasionem
nactus nocte quadam intempesta, aere tenebroso,

et cadente

et cadente imbre Patauium duxit exercitum composi-
tum, et ad omnes casus paratum: et per portam, quę
dicitur Cauda longa, fauentibus clam nonnullis ci-
uibus, qui in fide manserant, quibusdamque porta-
rum custodibus pretio, ut dicebatur, corruptis, sub i-
pso diei crepusculo est ingressus. Leonardus Trissi-
nus ad famam eius rei in forum, quod est apud Pa-
latium Dominij, cum suis se prǣsidio contulit, ibi-
que hostem operiri, ac de summa rerum certare
constituit. Sed considerata hostium multitudine,
ac suorum Veronanorum paucitate, cum iam
manus cępisset conserere, ac nonnulli ex suis
in ipso primo congressu occubuissent, sensim
recedens se in arcem recepit: nec multo post
Veneto deditus, Venetiasque deductus, et perpetuo
carceri mancipatus suum ibi diem miserrime
clausit. Si Trissinus varijs fortunę casibus a-
gitatus, patria primum extorris ad alienos lares
profugus exierat: inde arridente sibi per ludibri-
um fortuna, quę humanis semper actis solet il-
ludere, non solum in Patriam, sed ad Patrię Prin-
cipatum maximo omnium applausu restitue-
rat: ac demum eadem aduersante, ut esset hu-
manarum miseriarum documentum mortali-
bus, capitur, et tenebroso carcere inclusus fatum
suum miserrime obiuit. Patauium igitur hoc
modo Gritti opera Venetis recuperatum est, ac in

eos, qui

eos, qui defectionis capita fuerant, mitius quam
meriti fuerant animaduersum. Tum Veneti fre-
quenti senatu consulere, et ubique procudere uro-
bant, ut humanitate potius, quam animi pertina-
cia Fœderatos ipsos lenirent, ac aliquo tandem vi
rei commento a pernicie sibi intentata remoue-
rent. Quare Decreto publico cauere Ciuitates
omnes, et loca, quæ a Fœderatis petita fuerant, re-
stitutum iri, ut causa propter quam Fœdus ini-
tum erat, remota, tandem Fœderatorum animi
remollescerent. Igitur reuocatis Venetias, quos
in ijs urbibus constituerant Magistratibus, Portum
Naonis, Belgradum, Cormonem, Goritiam, Terge-
stum, Postoinam, et, quæ ad eas Urbes spectant,
loca, nuper ab eis iure belli conquisita Cæsari re-
stituunt: Pontifici quoque Maximo Rauennam,
Ceruiam, Ariminum, Fauentiam, Brisighellam,
Vallem Lamonis, et loca quædam alia sponte
tradidere: parique modo Monopolim, Tranum, Brun-
dusium, et quicquid erat Venetis in Apulia, Hispano
Regi redditum est. Alfonsus autem Ferrariæ Prin-
ceps, qui se iam Fœderatis adiunxerat, nec totum
otio tempus atriuerat; nam facta militum ma-
nu Rhodigium, Lendenariam, Abbatiam, aliaque non-
nulla ignobilia loca adempta sibi a Venetis ea
tempestate, qua cum Hercule Estensi eius Geni-
tore bella gesserant, breui redemerat. Maximili-
anus

anus Cæsar receptis, quæ prediximus, locis, non tamen sedato, quem ob oblatas iniurias affectum, animo, ne quid ad res agendas in mora esset, copias stipendiarias ex Liguria in Forumiulium deduci imperat, ducibus Christophoro de Frangipanibus impigro, ac fortissimo Viro, nec non Michaele cognomine Claudio Comite, cum sagacis, tum efferati animi, quibus addixerat collectos ex Carinthia, et Carniolia milites, et cum eis copias illas, quas coegerant Tergestini, Goritienses, atque Cormonenses, preerat his Christophorus Labacensis episcopus ex Rauberorum familia oriundus; Marcus cognomento Canis, et Joannes Auspergerus Viri fortissimi, et bellicis rebus clari; quibuscum profecti sunt alij plerique Proceres. ex Bohemia Cæsar misit quoque Viros bellicosissimos ueteranos milites, ac multorum bellorum labore duratos: ijsque omnibus Copijs Imperatorem prefecerat strenuum Virum Brunsuichie Principem, qui tum Cæsaris auspicijs militabat, cuiusque summa erat ob eius ingentem uirtutem, non in exercitu solum, sed apud Cæsarem quoque auctoritas. Interim nondum coactis in agrum Goritianum, quo erant ex decreto conueniendæ, undequaque Cæsarianis Copijs, Venetus facto Senatus Consulto exercitum comparauerat cum stipendiariorum equestrium, et pedestrium, tum Ruralium ex regione Juliadum, et Copijs coniunctis prefecerat quosdam

rat quosdam cum Castellanos, tum Utinates, qui in Cor-
nensi agro, in pago, cui nomen est Tricignano, Castra
posuere, locumque ipsum aggeribus munierant. His
Marco Cani, de quo superius mentio facta est, per spec-
ulatores nunciatis, cognitoque quam segniter ui-
gilias per stationes agerent, Veneti, omniaque so-
luta esse, ac si in pacato delitescerent, nec sibi quic-
quam ab hoste timendum esset, nocte quadam in-
tempesta progressus cum equitatu, Goritiensibusque
et cum magna ad id collecta Ruralium manu, ad ho-
stes summo mane ire pergit, Castraque Tricignani
repente aggressus magnum omnibus terrorem in-
tulit. At Rustici milites, qui in Castris erant, se in-
trepido animo opposuere: et inito certamine Cesa-
rianos pedem referre coegerunt. Stipendiarij inte-
rim, et qui cum eis erant Castellani, et Utinates im-
proviso tumultu perterrefacti, totum hostium
exercitum adesse putantes, celeri fuga se Uti-
num receperunt. Cesariani uero priori pugna re-
iecti cum essent certiores effecti Rurales hostium mi-
lites desertos esse sotiorum auxilio, quia priori
non succcesserat, alia eos uia aggrediuntur, ubi faci-
lis ad errumpendum aditus fuit; nam et impetus
hostium uehementior erat, et Rurales ipsi deserti
a suis animo defecerant, nec ideo uim sustinebant:
primi tamen se tutabantur, multosque ex Cesaria-
nis detruncabant paulatim recedendo, donec omnes
in fugam acti sunt. Tunc fugientes Cesariani se-

quuntur,

guntur, egdunt, ac capiunt. Multi altam fani Turrim ascenderunt, ut inde se ab hoste deffenderent; at Cæsariani igne apposito, qui ascenderant fumo pene adegati coguntur defensionem relinquere, ac se e Turri capta præcipites ejiciunt, ac fede detruncantur. Ea pugna ducenti ex Venetis cæsi sunt: ex victoribus Cæsarianis non minus quinquaginta cecidere, pagus insuper Trivignani Cæsariano militi præda fuit. Hoc prælium Venetos, ac præcipue Juliadas in Veneta ditione positos, ingenti pavore concussit, totisque locis trepidatum est. At Venetus, qui Gradiscæ præsidij causa fuerat, certior effectus de suorum circa Trivignanum cæde, vehementerque commotus de iactura suorum militum, rature ius sibi additum ad ulciscendam cladem acceptam, cum equitatu, ac peditatu profectus Villas et Pagos prope Gradiscam positos Vilessium, Romansium, Versiam, Medeam, aliaque loca campestria, quæ Goritianorum, ac Cormonensium ditionis erant prædatus primum est: indeque abductis, quos potuit captivis, et igne undique coniecto concremavit. Ex alia quoque parte Cæsariani in Pagos Venetos incendia fecere, prædasque ingentes abegere. Miserrimum erat Juliadæ regionis calamitates, quæ hisce diebus evenerant, intueri, omnia scelera committi, furta rapinæ, incendia, strages homicidia sacrilegia, omnia fœdari omne scelus licere: nec dum altera pars

petit ad

petit ad alteram uindictam, ulla diei hora erat malis ua-
cua. Laborabat igitur pulcherrima Siculorum regio in-
genti malorum omnium clade, nec poterant, qui aut
ex altis collibus, celsisue speculis loca plana oculis su-
biecta intuebantur sine summa animi mestitia
prospicere flammas fumantium incendio uillarum,
pagorumque, et cuncta undique ardentia. Hec igitur fu-
ere quasi estuantis belli initia irritatis utrinque ad
uindictam animis postea quam Veneti urbes Cesari
reddidere. Marcus uero Caris post uictoriam de Ve-
netis ad Vinignanum, nondum coacto ad Goritiam
toto Cesariano exercitu, qui in dies expectabatur, adhi-
bitis tantummodo Liburnis, quibus prefuerat, et Vil-
licis nonnullis proximorum pagorum tumultua-
rie coactis, ad Montemfalconem castra mouet, op-
dumque illud omni bombardarum, ac aliorum tor-
mentorum genere oppugnare orsus est. Erant in
Oppido Militum quidam Prefecti, qui Oppidanis per
loca apta dispositis castrum inferius, in quod uale-
menter erat incertus, prefenti animo deffensabant.
Cum uero scalis iam appositis Cesariani tentarent
ingressum, et iam foret ad undecimam horam^a pu-
gne initio acriter, uiriliterque pugnatum, Oppida-
ni se mutuam ad loci deffensionem cohortantes ho-
stium non minus ducentos interfecere: reliquos,
quorum pars magna erat sauciorum, retrocedere
coegerunt. Cecidit ea pugna inter ceteros quidam

ex Liburnorum

ex Liburnorum acie maximæ apud suos auctoritatis. Tum Cæsarianæ cohortes re infecta Goritiam reversæ sunt, ibique constitere, cæteras copias, quæ iam iter occeperant, expectaturæ. Interim Bronsuichiæ Princeps, quem Copijs a Cæsare præfectum diximus, omni bellico apparatu Goritiam uenit. Ibi lustrato exercitu ire constituit, at Lucenico transiens Copias omnes in patentes Gradiscæ campos traduxit: missoque caduceatore Gradiscanum Oppidum nuper ad Sontij ripas conditum a Venetis, Venetoque præsidio tentum dedi sibi postulat. Præsidiales dum se daturos per ludibrium respondissent, Cæsarianum exercitum transeuntem bombardis pluries appetiuerunt, paucas quidem, aut nullas militum, quias procul iuerant, læsione. Duces interim Cæsariani diutius loci situ considerato, et difficilem rati expugnationem, quia hinc amne circumdatur alto, ac rapacissimo, hinc uero prægrandi fossa, et latis mænibus cingitur, ne moram inde frustra traherent ulterius progressi Marianum, Cormonamque uenere, ubi exercitus omnis noctem sub dio egit. Postera uero die per Villamnouam iter ingressi Manzanum primo adiuere, ac inde præmissis nonnullis equitibus cum Mario Cane Rosacearum Oppidulum in deditionem petiuere. erant tunc Rosacäis milites pauci rurales cum Federico Varmensi Præfecto, et ex ijs, qui Rosacensis ditionis sunt

omnes

omnes fere ibidem cum familijs suis metu bellici fu-
roris inclusi erant: plerique etiam ex civitate Austriæ
qui eadem die summo mane eo convenerant spe
cognoscendi quid novi esset, quodve pareretur ab ho-
stibus. Hi erant ad numerum quinque et viginti:
et præter eos ex Arce Dramoliani aderant nonnulli
Optimateske Cucanea, et Zucco, (nam Dramoliani Ca-
stellum eorum est ditionis) et inter eos fuit Vitali-
anus Zucculus, qui plebeo sermone Lavianus de Zuc-
co dicebatur. Hi omnes habito inter se colloquio, hor-
tante maxime Vitaliano ipso, cuius erat apud i-
psos summa auctoritas, cum Mario Cane conve-
nerunt, ut Oppidulum Cæsarianis dederetur ea lege,
ut Oppidum, ac una Aviola, et cetera eius ditionis
loca et pagi sub Austriacis essent, salvique, et in-
columes remanerent: ceteris vero convenis eun-
di quo vellent venia daretur, nec quicquam
in eos iniuria fieret: quæ omnia Cæsariani integra
fide servarunt. Germanæ postea copiæ nulla inter-
iecta mora Utinum versus citato gressu profe-
ctæ sunt, atque in locum, qui plebeio sermone di-
citur Carucalo, situsque est in patentibus campis
inter Papiam pagum urbemque Utinam adia-
centibus, nec amplius duobus passuum millibus
ab Utino distat, primum venere, ac ibi Castra
posuere. Interim Utinates ad famam adven-
tus hostium opera Antonij Justiniani Proceidis, et

Jurisperiti

Iurisperiti clarissimi, necnon Ioannis Frederici Patriæ Foriiulij Consulis designati omnes cum Pedestrium, tum Equestrium Manipulares ex omni Iuliadum regione Vtinum compulerant, addiderantque Ruralium militum Centurias, quibus haud contemnendum Exercitum fecerant; nam Cæsarianos ipsos, qui ad quatuordecim millia fuerant, numero superabant. Quam ob rem Germani de his a speculatoribus certiores effecti, nec propius accedere ausi sunt, ne sibi cum tanta hostium multitudine, iniquo loco congredi necesse esset; nec urbem Vtineam tot fultam præsidijs eo tempore expugnare uisum est. Quare ibi triduo tantum consedere, rati tumultum aliquem Vtini futurum; non enim deerant, qui dixerint Antonium Sauornianum Virum sane optimum, et supremæ inter Iuliadas auctoritatis clarissimi egisse cum Cæsarianis, ut urbs Vtinea obsidione cingeretur, argumentum inde sumentes, quod intestina essent odia, atque inimicitiæ ipsum inter Sauornianum, et Castellanos quosdam: augeretque magnum aliquid in perniciem aduersariorum moliri. Non tamen id constat, creditum potius est a maleuolis excogitatum prius fuisse, inde data occasione in uulgus proditum, ut tanti Viri nomen non uera, sed uerisimili infamia macularetur. Vtcumque sit post triduum Cæsarianus Exercitus nihil ultra aggressus Castra

mouit

mouit, ac mox Austriæ ciuitatem infesto agmine petere constituit, ratus se eam facile adepturum, qua capta parum sibi negotij superesse existimabat, non solum ad Vtinum capessendum, sed quoque, quod reliquum erat belli, tamquam ex stabili arce perficiendum. Quam obrem commouit exercitus, ac propter Manzanum in prato, quod Solitium dicunt, ubi Rugia, quæ ex Natisonis alueo educta Manzani pagum alluitur, pernoctare iusserat. Die uero insequenti concrematis Bolzano, S. Ioanne Manzani ipso, ac Oleis uicinis pagis, ac Castro nobilis Manzanorum familiæ edito satis colli apposito, quem Stricca plebeio sermone dicunt, pariter incendijs absumpto, ulterius progressi Cæsariani inter Natisonem fluuium, et Olearum uillam secundis castris noctem sub dio egere; ibique certiores effecti Rosaceum Oppidum sibi nuper deditum defecisse ad Venetos opera Federici Contareni, qui in Austriaca ciuitate militum Præfectus erat: et eam Arcem Veneto præsidio teneri mixto stipendiarijs, ac Ciuitatensibus, qui Venetorum auspicijs militabant. Ad illius Oppiduli expugnationem aliquot uasilla liraxere, et quia firmum præsidium uidebatur, ne ab illo detrimentum paterentur, rem agi bombardis uisum est. Breui igitur conuulsi parietes corruere, uiamque patentem hostibus præbuere. Ingressi

grassi Caesariani ob iram ut credo defectionis quotquot reperiere Praesidialium obtruncarunt: multi in Foro, alij in uxorum, uel filiorum amplexu trucidati: non nulli, qui Turrim ascenderant sclopettis appetiti, ac permulti occisi: reliqui, quibus caedes pepercit, in uictorum potestatem uenere: et uitam cum per pactionem obtinerent in uincula omnes conjecti sunt. Praedas capti Oppidi militibus data, ac mox inter eos diuisa. Priori huius loci captura in neminem saeuitum fuerat, nec quicquam ex eis, qui ibi erant, diminutum, quia mitius tunc deditis, quam postmodum cum hostibus actum fuit: defectio augebat iram. Vini autem, quod in Abbatia penu congestum erat, diminutum nihil fuit: in gratiam Praesulis id factum credebatur. Quod gens uini auidissima, ut Germani sunt, et propter Prouinciae, in qua nascuntur, inopiam maxime uini, et quia eorum corpora naturali quodam munere prae ceteris gentibus frigida res apprime calidas appetunt, quae utraque acuunt calefacientis uini auiditatem, se tum ab illius potu abstinuerint, quod magnae quidem continentiae signus fuit. Nam illius uini commendata quam maxime suauitas gentes quaslibet, nedum Germanos, ad potum allicere potuisset. Post haec Caesarianus Exercitus inde amouit, iterque per Formani pagum ingressus, bombardas omnemque apparatum bellicum adducens tendebat

dabat secundum amnis Natisonis ripas, donec ad Toda-
orgij locum pervenit. Ibi celerius equitum gravis
armaturæ custodiæ per uiam, quæ ob damnosas flu-
uij ripas ad faciliorem transitum riualis vulgo ap-
pellatur, Natisonem transnadauit in loco, ubi Bila nun-
cupatur ab accolis: indeque uenit ad sacellum, quod
est in uia extra portam Diui Petri: ibique ij equi-
tes tandiu constiterunt, donec expectatæ aliquot
Equitum Cohortes cum uexillis accessere. Tum mo-
ti Equites ipsi Tumulæ cliuum haud procul inde
situm celeriter ascenderunt, quo etiam conuenere
exercitus Præfecti, ut locum unde ciuitatem essent
oppugnaturi specularentur. Interim uero exerci-
tus omnis flumen transgressus, machinas, atque
bombardas curribus et quadrigis deuehebat, passim
per stratas, et prædia quicquid aderat subruentes:
et cum Rubignaccum pagum peruenissent, omnes Co-
piæ constitere. Erant in Cæsariano exercitu quadri-
gæ tectæ gestantes singulæ pannea uelamenta Qua-
dringentæ: Curruum uero, ac aliorum Vehiculorum
sine tegmine ingens multitudo. Pridie Idus Au-
gusti matutina luce hostiles Copiæ transire cœpe-
rant: transitus uero fuit in Vesperas continuus:
noctis inde, quæ insequuta est, hora fere sexta factis
aggeribus, appositisque bombardis Turris porta
Ciuitatis, quæ Rubignaccum ducit, eaque muri
pars, quæ Tumulam a Turri prospicit, ingenti tu-

multu

multa, ac fragore percuti cepta est, pilis primum lapideis donec illucesceret; die uero aduentante maiori quam antea impetu ferreis globulis rasacta est. Muri Turrisque concutiebantur, ac iam omnibus circa perfractis patebant aditus, dum Ciuitatenses ad suę urbis uestudiam maxime intenti stabant in muris, armatique, et instructi selopettis, balistris, arcubusque, et alijs missilibus hostem arcebant, nec uitam pro salute Patrię dubitabant impendere, et hostes cominus accedentes percutiebantur: quo certamine plerique ex hostibus circum mœnia obequitantibus (nam nondum ad iustum prelium uentum erat) uulneribus affecti sunt, nonnullique cęsi. Sed antequam ulterius progrediar, ueniamque ad ingentem pugnam, quę inter oppugnantes oppugnatosque secuta est, narrare libet quorum, quodque militum Venetorum fuerit in Ciuitate presidium, ut sciri possit quam parua auxiliatorum manu Ciuitatenses ipsi adiuti per se ipsos urbem suam a tanta expugnantium ui, et multitudine sint, quod intrepidi eorum animi, atque uirtutis ingens est argumentum. Venerat igitur Ciuitatensibus suppetias Ludouicus de Perusio cum non amplius nonaginta peditibus, quorum triginta proximis ante positam Vrbi obsidionem diebus ad Fulminię Arcis presidium missi fuerant: uiginti uero in expugnatione Rosacearum hesterno die perierant: reliqui autem ex tam paruo numero

in Ciuitate

in Ciuitate tunc aderant. Post hos uenerat quidam Lucas da Ancona cum peditibus uigintiquinque, quorum pars ad famam futuræ mox obsidionis aufugerant. Paulus autem Basilius Patria Ferrariensis die ante oppugnationem cum peditibus centum ciuitatem ingressus ingentem sui fiduciam fecerat Oppidanis. Hora etiam quarta antequam se ostendisset adesse Cæsarianus exercitus, accesserat, ac intra mœnia acceptus fuerat Antonius Petrasancta, et cum eo sex et nonaginta pedites omnes ueterani multis bellis assueti cum tueri, tum oppugnare urbes. erat præterea ipse Antonius uir strenuus, et rei militaris peritissimus. Horum igitur aduentus metum omnem Ciuitatensibus ademerat; nec erat quisquam in Oppido, qui uiso hoc præsidio sibi ab hoste timeret. Nec eos fefellit opinio; nam dubio procul eorum ope stetit tunc res Ciuitatensis: quare a deditione, quam dudum facere cogitauerant, ad deffensionem animum conuertere. Paucis quoque ante diebus accesserat Marcus Susanna Utinensis uir clarus, et militaris peritiæ eruditus, adduxeratque pedites ducentos ex ruralibus electis, qui tamen præter paucos relicto duce non expectata oppugnatione clam aufugerant. Quare Marcus ipse cum paruo militum numero, multa tamen fide, et integritate subsidio

sidio Civitatensibus fuit. Reliqui vero, qui se hostibus opposuere, aut Cives, aut ditionis illius Civitatis accolæ fuere. Ambiguum illud est, fueritne a Germanis ante oppugnationem petitum, ut se dederent Oppidani: quidam factum negant; ast post perfectum bellum a bonis viris accepi, primos illos, qui ad Divi Petri portam applicuerant equites, eo animo accessisse, ut Civitatem Cæsaris nomine peterent in deditionem. Cæterum qui in muros concurrerant Civitatenses tantum tubarum sono, telorumque, et sclopetorum fragore, et tonitru, præter continuos clamores, undequaque edebant strepitum, ut audiri petentes nequiverint. Adeo re infecta, nullo habito iam Civitatensibus colloquio, recessere. Relatum quoque est eadem die hora circiter meridiana Goritiensem quemdam de Drapicijs ad portam, quæ dicitur de Ruinis, profectum esse, clamoreque, ac nutu indicasse uti aliquis ex Oppido secum ad colloquium veniret: et cum Ioannes Scarabursia, qui Germanicum, et Sclabonicum idioma calebat, missus propius accessisset, audiretque Goritiensem petentem uti se arbitrio Ducis sui dederent, tanta indignatione auditum fuisse, ut Federicus Venetus Patritius Civitatis Prætor mox clamaret, ut caederetur Goritiensis, in quem cunctantem ut responsum daretur, multa tela, aliaque missilia eminus coniecta sunt: quare nullo accepto alio responso uti venerat, recessit. Igitur Germani maiori, quam

antea

antea iui, et ira Turrim, murumque Turri finiti-
mum deuastabant, nec Oppidanorum quisquam prop-
ter creberrimos glandium ictus audebat ad ea
loca accedere, ob idque Turris murusque deffenso-
ribus nudus erat. Turris uero ac alia loca con-
termina oppugnatis menibus replebantur undi-
que armatis Civitatensibus, quorum pars irru-
perat etiam in fossas, quibus muri imminent,
locusque egregie defendebatur: parabaturque
deffensio intus si deiectis muris Caesariani in-
gressum tentarent. Et iam locus patefactus ru-
inis erat, Turrisque a porta, quae aggeribus clausa, et
munita fuerat, sursum diruta, et murus Turri con-
terminus solo prostratus uiam aperuerat; tum Ger-
mani quidam ingressum tentare ausi sunt, et pro-
pius accedentes, ut ingrederentur, obuios habuere
Oppidanos, qui omnium missilium genere, ma-
xime sclopettis, et balistris ingredientes hostes arce-
bant. Multi eo certamine Germani uulnerati, aut
caesi fuerunt, ac demum coacti pedem referre. Ce-
cidere ex Oppidanis ad numerum sexaginta,
qui se eo, et in sequenti die opposuerant ingressum
hostibus impedituri. Interim noctu, et interdiu
Oppidani ipsi pars muros reficere, pars uero in
custodijs per loca dispositi, ut hosti terrorem face-
rent, qui ea menibus clamare, Venetorum laudes

tonoris

sonoris uocibus extollere, in Germanos uero probra di=
cere, ac per ludibria, et iocum eorum ignauiam ex=
probrare nunquam sinebant. Cætera quoque multi=
tudo imbellis, ut mulieres, puerique, et senes immixti
militibus ipsis opem intentissime ferebant laboran=
tibus, ligna, et terram ad aggeres muniendos sedulo
portabant: tum etiam iussu, et consilio Antonij Pe=
trasanctæ excauata fuit scrobs prægrandis, et pul=
uere, quem sclopettinum uocant, repleta, ut ad Germa=
norum ingressum iniecto igne, omnia, ut postea
euenit, incendio, ac terrore turbaret. Dum hæc ibi
aguntur Præses Utineus, ac una Gradonium Præ=
fectus, quos supra memorauimus, certiores effecti
quanto in discrimine Ciuitatensium res essent,
consulere ceperunt quonam modo obsessæ urbi
sociæ suppetias irent; nam pluries ante promise=
rant, si forent Ciuitatenses bello ab hoste petiti se
ipsis opem impigre laturos. Quare cum stan=
dum promissis censerent, Utineis aduocatis pe=
ditum Præfectis mandant, magnisque pollicita=
tionibus hortantur, ut uia, qua possint tutiori
Ciuitatem adeant, ac mercenariorum militum Cohor=
tem secum adducant ob ingentes hostium copias:
Et quia arcta erat undique obsidio, singuli se fa=
cturos negabant, unus Antonius Petrasancta fuit,
qui cum peditibus sex, et nonaginta, ut supra com=

memorauimus

memorauimus, ipso oppugnationis die, cum ho:
stem fefelisset, suppetias uenerat. Hic suscepta
proficiscendi prouincia milites suos primo instru:
xit, admonuitque quid facturi essent: inde simu:
lato itinere eundi alio, montes, qui supra Vtinum
sunt, recta petit, per Nimis, pagus is est ad alpium
radices positus decem passuum millia ab Vtino
distans, quem Nemas a nemorum, ut opinor, nomi:
ne appellant, cognitum antea locum, sed nihil pre:
ter ceteros ignobiles pagos: celebrem tamen to:
ta passim regione reddidit familia de Nimis,
ex qua cum armis, tum litteris preclari Viri
sunt oriundi: indeque Attemysium, et Faedis, ubi
sunt Cucaneę, et Zucchi Castella progreditur; et
demum proximorum montium iuga scandens re:
cta pergit ad montem, quem Spignon uulgus
appellat, iugis ipsis coniunctum, gradiensque per
nemora, et siluas uirgultis, et folijs tectas, tandem
per portam Ambrosianam incolumis cum suis
receptus est. Pretor etiam Trolonius, et Iustini:
anus Preses Vtinensis promissi memores, cum eo:
rum presidij fore existimassent in premisso, ut
diximus Antonio, ipsi quoque cum aliquibus copi:
is statuere Ciuitatensibus ire suppetias. Quam
ob rem, ut uoluntarios potius quam coactos ha:
berent asseclas, per Tubicines in Foro edicere ius:

serunt,

serunt, rem gratam facturos sibi Reique publicæ Venetæ eos, qui se ad subsidium Ciuitatensibus ferendum sequerentur. Facto huiusmodi edicto, Bradonius mox equum armatus ascendit, iterque per Vtini portam, quæ dicitur Ciuitatensis, statim arripuit. Armati quamplurimi eum sequebantur, non ut solitum est cateruatim, sed ut casus eos conglobauerat, raptim et sine ordine. Cum uero Romanzacum uentum esset, parumper constitere, qui primi uenerant, donec tota acies applicuit. Inde equites ipsi, (nam pauci aut nulli fuere pedites) ad Torrentem Malinæ seruatis ordinibus uenerunt: indeque ad locum, qui Capitulus dicitur, accessere. Erant omnes numero Stradiotæ ducenti, ac balistris utentes equites alij centum, et præter hos Meleager Foroliuiansis Cataphractos quinque et uiginti adduxerat. Ea non per exploratores solum, sed ex altis quoque Tueculæ specolis intuenti Cæsariano Duci innotuerant: quare aduocatis Liburni equitatus Præfectis præcepit, ut se expedirent, et curatis corporibus contra eos, qui Vtino irruperant infesto agmine obuiam progrederentur, et si res posceret, manus consererent, ac prælium inirent: si uero Vtinates numero, et uiribus præualerent, nec tutum esset rem in discrimine ponere, paulatim recederent, hostemque elicerent, donec ipse Dux cum copijs sibi in subsidium ueniret. Acceptis man-

datis

datis Liburni nulla interiecta mora armati con=
uolant, et ad Diui Donati sacellum ultra prima
torrentis Maling uada consistunt, ut scire possent
quantum ab hoste abessent. Erant omnes Liburni
equites, qui eo uenerant, non amplius ducenti,
qui cum se non procul ab hostibus esse prospice=
rent, stricta inuadebant acie, et seruatis ordini=
bus ad omnem casum parati. Tum progressi
prospiciunt Stradiotas non preter duodecim con=
tra se ex acie irrumpentes: quare et ex ipsa
Liburnorum acie pari numero aggressi equites
in hostem corruunt: fit acrior pugna, quam
pro preliantium numero debuerat. Duo Stradio=
tę eo certamine cecidere, uno tantum Liburno
caeso. Stradiotę reliqui, qui pugnauerant, fugam
arripuere, nec ad suos recepti prę timore ausi
sunt consistere; sed ulterius celeri cursu trans=
gressi nullum sibi tutum locum estimantes, nec
salutem aliunde quam ex fuga habituros se esse
sperantes, ceteram aciam, quę eos tam trepide
fugientes conspexerat, ingenti pauore compleue=
rant: quare nec expectato hoste Utinenses ipsi
trepidare primo, inde unus post alium respicere.
Quod Liburni animaduertentes, ut pręsenti ho=
stium pauori terrorem etiam superadderent, con=
citatis equis in eos feruntur. Utinates nec expectato
impetu totis habenis fugiunt. Prosequuntur Liburni

nunc hos

nunc hos nunc illos, ut sors dederat, proximos obtrun=
cantes, ac Utinum usque sequti fugientes, quos cur=
su preueniebant, acerrime cedebant: quos uero equo=
rum ualocitas seruare potuit, intra portas Utine=
as recepti ex fuga sunt. Cecidere ea fuga Equites cen=
tum Utinei, inter quos fuere Ioannes Pramperginus,
Meleagri Foroliuiensis sororius, atque Henricus Par=
liliarum Comes. Sed Ioannes Paulus Gradonicus, qui Ca=
stris preerat, equo, cui parum fidebat, dimisso, pedester,
et grauiter saucius per deuia aufugerat, noctaque
post eam cladem insequta repertus latitans inter uepres,
Utinum a suis delatus est. Taburni Victores spolia ca=
ptiuosque, maxime pedestres, nonnullos in castra sua
prope Ciuitatem adduxere. Duces igitur Caesariani, ut
pulsum, ac prope deletum uidere Equitatum, qui Ciuita=
tensibus suppetias ibat, ne arridenti fortune non obse=
qui uelle uiderentur, Ciuitatem Austrie maiori quam
antea conatu aggressi sunt oppugnare: diuisique in
cohortes exercitu, ut alij alijs catervatim irent subsidio,
ac alternis laborantibus uicibus essent opem ferrent. Pri=
ma cohors, cui sorte contigerat, ad loca ruinis prio=
ribus patefacta processit, alijs turmatim subsequen=
tibus: nam et pedestres, et equestres omnes copie pa=
riter ad oppugnationem iter intenderant. Ciuitaten=
ses uero ad defensionem omnes conuolauerunt: ho=
stemque sclopettis, sagittis, talisque erniculis ferie=
bant, qui procul aderant: qui uero propius uenerant
saxis, alijsque grauioris ponderis missilibus commi=
nus rejiciebantur, et iam pilis eiectis uerbibus res age=
batur.

batur, cum Cesariani infracto animo scalis appositis muros ascendere ceperant, ascenderantque nonnulli, inter quos unus fuit genere, et divitijs prepotens Bogninus, qui post Ducem ipsum in Cesariano exercitu primum obtinuerat locum. Is, et duo alij summe autoritatis Proceres, qui pariter in Bognini gratiam ascenderant, lupis ferreis (aduncae cuspidis armorum genus est) ab ijs, qui in moenibus ad id prepositi fuerant, tracti intus essent, statimque trucidati. Subsequebantur interim alij nullo priorum casu perterriti, introque gressum contulerant: et iam Civitas captum iri videbatur, foretque dubio procul capta, ni Antonius Petrasancta mox in scrobem, quam superius sclopettivo pulvere repletam ad hunc casum diximus, repente conjecisset ignem, qui ictu oculi, ut est ille pulvis celerrimus ad flammas concipiendas, accensus igneam rabiem cum sonitu, ac stridore ingenti in aere emisit, quo quasi monstro perterriti hostes, qui in muros, quique iam intro accesserant, mox armis abiectis, murisque, quos ceperant relictis, precipiti fuga se in castra ab oppugnatione receperunt. Civitatenses recepto ex timore animo in hostes retrocedentes crebriores grandine, aut nimbo sagittas, jaculaque, et alia missilia conjiciebant. Periere eo certamine ad quingentos homines preter saucios, ex quorum numero, qui magnus fuit, plurimi postea mortui sunt. Fossa,

cui-

cui imminent moenia cadaueribus repleta erant ab ea parte, qua irruptio tentata fuerat. His leti Ciuitatenses cęlum clamoribus replebant: Cęsariani uero ira accensi, quod ab urbe a se quasi iam capta hostium arte, potiusque uirtute pulsi essent, animo agitabant quonam modo oppugnationem prosequerentur: nec ideo nocte insequenti cessatum est a leui certamine inter eos, qui egrediebantur ad spolia cęsorum legenda; fiebat namque egressio non minus ex Ciuitate per fracturas murorum, quam ex Castris, ut exuuiis potirentur. Aliquot eo nocturno certamine utrinque cecidere uulnerati; haud pauci ad suos quoque reuersi sunt. Ciuitatenses, quia propiores ex muris uenerant plus spoliorum adepti fuerunt. Ceterum oppugnationem insequentis diei non sine timore maximo expectabant, memores quanto in discrimina hesterno die fuerint: et quidem a multis creditum est, quod si Germani postera die Oppidum aggressi fuissent eo impetu, quo superiori fecerant, Ciuitate potiti essent; nam deffensiones ob hesternam oppugnationem ex lassitudine, et uulneribus debiliores erant; et nonnulli etiam ceciderant, quorum uirtus maxime enituerat. Sed Germani relicta oppugnatione murorum, quę difficillima uidebatur, oppositis loco aperto bombardis, ex Ziicula, aliquo domos

tectaque

tectaque, ac patentes stratas non sine Ciuitatensi=
um clade appetebant. Videntes uero rem ab oppugna=
tione ad obsidionem deduci, ne ibi diutius tempus te=
rerent, hora eiusdem diei circiter meridiana, soluta
obsidione, signisque sublatis abiere, ac nocte inse=
quenti prope Natisonem, in finitimis Forumiis
pratis constitere: et die, quæ sequuta est, Cormone,
et Meriano transgressi Goritiam rediere. Ciuita=
tenses, ut se obsidione solutos sensere, et hostes
iam recessisse, statim Oratores suos, quorum Prin=
ceps fuit Joannes Manzanus Legum Doctor peri=
tissimus, nec non Historiarum Scriptor clarissi=
mus, Venetias misere gratulatum Senatui de Vi=
ctoria, et præsidium firmius exoratum, si forte ho=
stes reuerterentur, eorum Oppidum oppugnaturi.
Ea Legatione benigne audita Patres Veneti, gra=
tias primum Ciuitatensibus egere, quod in fidem
mansissent; præsidium deinde, ut postulauerant,
ducendum eisdem Legatis dedere. Cæsariani post
hæc Tulmini Castrum Ciuitatensium præsidio fir=
matum agmine infesto aggressi nihil memora=
bile gessere; tum quia parua militum manu ac=
cesserant, et circa tantummodo loca turbauerant
incursionibus; tum etiam quia præsidium ibi ua=
lidum erat, et præsidium ipsum omni commeatuum
genere optime munitum. Interim nihilominus
omnis Juliada regio incendijs, ac cædibus hinc a Vene=
tis

tis in Germanos fines, hinc a Germanis in Venetos asse-
clas continuo laborabat, enitente utraque parte aduer-
sarios clade affici. Hic nimirum interea Tridentinus
Pręsul Cęsaris nomine Veronam profectus ingentes
undique belli apparatus congerebat, opitulante sibi
Ioanne Gonzaga Mantuano Marchione, qui iisdem
ferme diebus Veronam uenerat Pręsulem locutu-
rus circa res bellicas, quem postmodum regredientem,
cum in pago Veronensis agri incautius pernoctas-
set, Veneti quidam milites re cognita ex insidijs
adorti captiuarunt, ac Venetias adductum sub ar-
cta custodia annuum detinuerunt, qua de causa
bellici apparatus quę Veronę fiebant, mox cessa-
uere. Germani interim capto Pletio, quod Oppi-
dum est in Carniolię finibus non procul Tulmino,
maioribus denique copijs Tulminum ipsum aggredi
statuunt, ut eo capto apertior sibi locus esset ad com-
moda belli perficiendi; nam adducto in eorum pote-
statem Tulmino libera sibi uia, et tutus accessus
erat ad commeatus, et ceteros belli apparatus ęx Ca-
rinthia Goritiam deuehendos; erat enim prius per
Platianam arcem transeundum, inde Tulminum, ac
demum per Sontinam Vallem (quam Canalem Gon-
cinę uulgus appellat) Goritiam res suas recta tra-
ducere poterant. Ut igitur amouerunt impedimen-
tum hoc, quod sibi in itinere obstabat, Tulminum
omnibus copijs aggrediuntur. Erant tunc presidio

Tulminii

Fulmini Guido Perusinus, nec non Federicus Frumenti-nus, et Paulus de Cusano, et alter item Paulus ex alia Frumentinorum familia, (nam duæ sunt eiusdem agnominis Civitatenses familiæ) habebantque stipendiariorum militum egregiam manum, quibus Oppidum tueri statuerant. Sed cum iam pagos omnes, et loca Fulmino subiecta hostes inuasissent, ferroque et igne omnia circum deuastassent, captiuosque abduxissent, rati oppugnationem contra tot copias sustinere non posse, nec sibi a socijs iam bello attritis auxilium futurum, existimantes Fulminum hosti dedere, quo mox potiti Germani Federicum ipsum, nec non utrumque Paulum captos in uinculis dudum tenuere, ac demum soluta ingenti pecunia, missos fecere. Ex his Paulus de Cusano octingentis nummis aureis se a captura redemit. Interim uero Veneti auspicijs Hieronymi Sauorniani celeberrimi Viri ad septem hominum millia ex Villicis collegerant, Cormonemque aciem direxerant eo consilio, ut interim donec hostium exercitus Fulmini abesset, aut Cormonem expugnarent, aut ad Cormonis deffensionem a Fulmini expugnatione hostes ipsos retraherent. Sed quia Cormonenses præsenti animo se tutati fuerant, Venetus re infecta discessit concremato prius Cormonis suburbio: et Villicorum exercitum, quem ad subitos casus comparauerat, mox dissoluit. Cæ-

sariani

sariani capto demum fulmine racanti presidio pedi=tum trecentum Germanorum, ac equitum centum Go=ritianorum firmarunt: pariterque ad Cormonensium firmiorem custodiam direxere Christophorum quem=dam Rostiler cum centum Germanis peditibus. Erat eo tempore Venetorum nomine Theodorus Bur=gensis Tradiscę presidio habebatque pedites ducentos, equites vero centum, quibus preerant duo Centurio=nes militari arte eruditi. At Rostiler, cui Cormone presidium contigerat spreta Venetorum parua ma=nu, quę Tradiscę erat, omnia circum loca ad Venetam ditionem pertinentia quotidianis incursionibus deua=stabat, predasque, et captiuos abigebat: et cum esset uir sęuitię plusquam inhumanę, captiuos varijs cruciatibus afficiebat, ut numerosam inde pecuni=am extorqueret. nam alios reuinctis post terga brachijs tortos diu uexabat: alios testiculis fune annexis appendebat: plures in uinculis sua manu necabat: oculos alijs effodiebat, nec ullum crudelita=tis, et sęuitię genus in miseros captiuos non in=tentatum exercuerat. Dum hęc igitur tota pas=sim regione Iuliadum agerentur Iulius Ponti=fex Maximus receptis, ut supra memorauimus, Ecclesię Romanę urbibus, quas Veneti restituerant, animo concepit, ut et Bononiam a Bentiuolis uendicaret. Cui quoque Rex Gallus ilari assensit a=

nimo

simo: non tantum ut morem Pontifici gereret, sed multo magis ne uideretur Ecclesię partes in re honesta desERuisse, cum Regis ipse Christianissimi Diadema gestaret, cui rei Cęsar quoque, et Rex Hispanus assensere. Horum igitur spe Pontifex exercitum comparauit Gallis maxime auxiliantibus, et Bononiam infesto agmine adiuit. At Ioannes Bentiuolus hostium apparatu audito, Bononiam, quam tirannice inuaserat, dimisit, familia, auroque, et argenti quod erat, et bonis omnibus, quę asportari poterant, sublatis recessit: quare Bononia mox ad Pontificis manus, et in Romanę Ecclesię iura deuenit. Post hęc Pontifex, uel quia ita honestas, et Ecclesię ius suadebat, uel, ut quidam dicere ausi sunt, quia huic Pontifici insatiabilis habendi cupido inerat, quamuis in ceteris Pontificatu plane dignum existimemus, statuit, ut urbem quoque Ferrariam e sui Ducis manibus sibi uendicaret, asserens inter cetera et urbem ipsam ad Ecclesiam Romanam spectare, et Ducem ipsum ab obedientia discessisse, Cornacliumque, et Plebem, aliaque Ecclesiastici iuris loca tirannice occupasse, et quod pessimum erat omnium conspirasse, aiebat, cum schismaticis Cardinalibus quibusdam in ipsumet Pontificem Maximum. Quibus de causis in Ferrariensem motis Pontifex bellum ei indixit, ac prius ut culpabilem

pabilem, et criminis reum interdicto Ecclesiastico, Censurisque rescriptis, et typis excusis, totiusque Italiæ populis, et Principibus notificatis, subiecit, et anathematis uinculo innodauit: nec ipsum tantummodo Ferrariensem Ducem, sed asseclas eius, et ceteros, qui suæ factionis fuissent homines pariter execrauit, et ut nuper in Venetos fecerat, a cætu Fidelium, tamquam de reatu contumacem seiunxit. Verum Ludouicus Galliæ Rex, qui in ceteris rebus omnibus Pontifici semper obsequutus fuerat ab his maxime dissentiebat: asserebatque Alfonsum ipsum Ferrariæ Ducem, non modo fuisse ex Fœderatis unum, sed quoque eius operam præbuisse ad res Italicas peragendas: et sibi propterea indignum uideri amicum, et Collegam armis appeti; et ea de causa Pontificis conatus in Ferrariensem amicus, ut potuit, uerbis primo compescere studuit: ut uero inexorabilem illius animum uidit, iramque in Ducis exitium accendi potius quam sedari precibus, auxiliares copias Duci suppetias misit. Ea cum Pontifex rescivisset, non solum a Fœdere dudum cum Rege inito recessit, sed nouum insuper cum Venetis prius hostibus fœdus contra Gallum, et Ferrariensem iniuit, quæ etsi iniquo, ut par erat, animo Cæsar, et Hispanus, ut audiuere tulissent; non tamen a uetari Fœdere cum Pontifice discessere, et Bellum,

quod

quod ceperant contra Venetos, prosequebantur. Inito igitur nouo fœdere Veneti mox ad Pontificis nutum Classem in Padum ductam auspicijs Angeli Triuisani Veneti Patritij præmisere: Rhodigium quoque, et ad cætera Policeni loca, quæ secundum Ferrariam sunt, terrestrem exercitum transmisere Duce Joane Paulo Gradonico, qui se nauiter gesserat tempore Ciuitatensis obsidionis. Pontifex quoque Copias suas, quæ in Romandiola hyemauerant, aduci iusserat terrestri itinere Ferrariam uersus. De hisce igitur apparatibus in se factis Ferrariensis certior effectus, ualidissimis præsidijs munitus hostem intrepide expectabat. Classis Veneta per Padum ex Adriatico sinu cum duceretur, exercitusque adhuc in Policeni agro moraretur, Dux Ferrariensis militibus suis mandat hinc atque hinc ex fluuij ripis Triremes mox aggredi, quod cum fecissent Ferrarienses, tantus pauor repente hostes inuasit, ut Angelus Triuisanus Nauarcus relicta Classe paruam nauiculam ingressus salutem fuga petiuerit: classis ipsa, in qua fuerant quinque Triremes, ingensque omnium carinarum numerus, Ferrariensibus præda fuit: nauales uero milites partim capti, partim cæsi sunt. Gradonicus autem, qui terrestribus copijs præerat, audita Naualium suorum clade,

nec hoste

nec hoste uisa Patauium se recepit: et Rhodigium, aliaque Policeni loca in Ferrariensis potestatem reliquit. Eo modo Dux Ferrariæ profligatis hostibus, eorumque conatu compresso uictor euasit. Interea Rex Gallus in Pontificem acri motus animo, non Ducem modo Ferrariensem opibus iuuare sat sibi esse existimans, Bentiuolis quoque, quos Bononia pulsos modo diximus, auxilio esse constituit, ratus aut a Ferrariensi bello Pontificem, et Venetos auocare ad Bononiæ Defensionem, aut Bononiam ipsam Bentiuolorum nomine suo imperio uindicare. Quare præmisso Bononiam exercitu cum Bentiuolis, Bononienses tradito Pontificis, et Venetorum præsidio se dedidere. Præsidiales ipsi capti, primum in custodiam traditi sunt, inde bonis omnibus spoliati inermes dimissi. Erat in his Cardinalis Papiensis, qui eo forte tempore Bononiam pro Pontifice Legatus tenuerat. Is ubi captam Urbem uidet, obtenta a Victoribus eundi copia, se Rauennam contulit ad Pontificem, qui hisce forte diebus eo uenerat Bononia nondum capta. Nec multum steterat coram Pontifice Papiensis, cum ab Urbini Duce (erat is Iulij filius illegitime genitus) obuiam facto multis uulneribus confossus obijt suspectus defectionis. Id Pontifici dicitur non minori fuisse dolori, quam Bononiæ amissa; nam liquebat Bononiam nulla Papiensis culpa de-

pa defecisse ad Bentivolos: et erat preterea Papi=
ensis pietate, et uirtute clarus, et Pontifici ob id maxi=
me gratus. Pulsis hoc modo Bononia Bentivolis, ut
se a Bonorum suorum proscriptione ulciscerentur sta=
tuam imagine ipsius Iulij ære impressam, ac Foro me=
dio columna erecta bombardis primum appetivere,
ac humi stratam fune collo illigatam, inde tota pas=
sim urbe trahi, ac fimo inuolui iussere. Dum hæc i=
bi aguntur Cæsar Maximilianus coactis in unum
Copijs tam Gallorum, quam Italorum, qui sibi ad bel=
lum suppetias uenerant (quas quidem centum quin=
quaginta armatorum millia fuisse tradidere, quod
ego pro uero accipere non ausim; nam ea tem=
pestate nullus tantus exercitus comparari potu=
it maxime a Cæsare, qui suas uires distraxerat
ad alia plura bella, quæ sibi a Turcis in Pannonia
et ab alijs in Germania imminebant: credo potius
erratum numero fuisse, ac pro quinquaginta ap=
positum esse centum quinquaginta) proprijs
ipse auspicijs, et non per alium Ducem Patav=
uium expugnaturus accessit: et loca plurima
castris metatus, tandem ad portam, quam uul=
gus Caudam longam appellat, exercitum sisti ius=
sit, ibique castra poni. Erat tunc in ipsa Patav=
ij urbe tot tantaque armatorum præsidia undi=
que adducta ad deffensionem, ut nemini dubium

esset,

esset omnes suas uires collectas ibi esse a Venetis; nam
Urbs propinqua erat, et in ipsis Venetiarum faucibus
sita: uidebaturque pro patrio solo pręlium ineun-
dum esse: et milites, qui intus erant se ad omnia
circumuoluentes erectam semper suorum aciem ad-
uersus Cęsaris exercitum habebant: et sicut ipse Cę-
sar hac, aut illac accessum quęrebat ad męnia; ita
Veneti milites oppositis semper pectoribus obstabant.
Conuenerant primi Venetorum Duces Nicolaus de No-
la cognomento Petilianus Comes ex Vrsinorum Ro-
mana familia, qui summum in Veneto exercitu Im-
perium habuit, Andreas insuper Gritti Patritius
Venetus Magister Equitum: et cum his aderant
militari arte eruditissimi Viri Dionysius, et Ve-
nantius de Naldis de Brisighella Patrueles Le-
gati, Citolus quoque Perusiensis, et Lactantius Ber-
gomas Tribuni militum, pręter alios Patritij gen-
tis Venetę plerosque Iuuenes, inter quos quam-
plurimi priuato ęre profecti suos milites con-
duxerant in Venetorum gratiam, et stipendiarij
proprio sumptu uoluerant: uidebanturque ad u-
nius urbis Patauinę pręsidium suas uires om-
nes, cum publicas, tum priuatas Veneti contulis-
se: et cum iam Cęsar obsidionem posuisset ad por-
tam Caudę longę, ubi locus debilior, et ad inuaden-
dum facilior apparebat Veneti pręsidiales por-
tam ipsam, aliaque prope loca integro munie-

runt

runt defensionum ordine, et primo quidam locis apertis apposuerant armatorum cohortes quamplurimas, que equali inter se intervallo accedentem hostem arcere possent. Civitatis preterea fossam, que citra muros educta ex Athesi, quam Brentam vocant, fluvio aqua repleverer. Erat insuper murus exterior infirma structura fultus aggere inferiori latissimo ad optimi muri instar ex lignis, et terra confecto: interque murum, et aggerem alta erat, et lata fovea: et super aggeribus locis plurimis eminebant moles, et propugnacula de mutuo aspicientia ad subiacentis fovee custodiam: propugnacula vero, et moles omnibus tormentorum generibus conferte erant appositis ad vim hostium arcendam. Aggeris quoque partes inter propugnacula vacue crebris bombardis replebantur, ordinibus ita inter se appositis, ut non homines solum, sed ne aves quidem, si ea loca adirent, illese possent abire. Sed nec fovea defensionibus caruerat, nam opportunis locis apposita erant ligna cuspide preacuta, et adusta, et illis sulphureo pulvere subdito locus sarmentis tectus, quo hostes deciperentur, et si adhererent igne mox iniecto, aut arcerent ingredientes, aut incendio consumerent. Inferius quoque ubi patebat primus hostium ingressus, apposuerant Veneti tabulas

Brenta Medoacus est, non Athesis

bulas clauis ferreis acuta admodum cuspide clam fultas, quo gradientium pedes transfigerent, tardarentque occulto uulnere ingressum. Erant praeterea in aggerum interiori parte pedites armati omnium missilium genere, et praecipue sclopetis, balestrisque, et telis aliis: nec procul inde equites lanceis et fumatis equis accincti hostem intrepide expectantes, si forte tentarent aditum. Maximilianus Caesar etsi a transfugis certior factus esset de ualidissimo hostium praesidio, ac deffensionibus, ingressum tamen pluries tentauit, si hostes saltem ad pugnam elicere posset; qui tamen nec in aciem egredi, nec de loco mouere ausi sunt: Urbi tantummodo praelium esse uelle uidebantur. Germani interim, atque Galli, et Hispani, et Itali, qui Caesarianis militabant auspicijs instructa suorum quisque acie accedebant hostemque exire ad duellum annuebant, lacessebantque aperto Marte. Et nemo obuius fieret, appareretque oppugnari Urbem tot, tantisque praesidijs fultam difficillimum esse. Caesar ad obsidionem ab oppugnatione animum adiecit, et clausis ubique uijs expugnasset dubio procul urbem ualidam; sed post bimestre ad famam inuadentium Hungariam Turcarum obsidionem soluit, et exercitum aduersus nouos hostes eduxit. At Turcae factis excursionibus affectaque clade tota inferiori Pannonia, nec expectato Caesaris aspectu aufugere, finesque suos appetiuere. Quare Maximilianus,

anus, qui Bassiano profectus Germaniam iuerat, instante hyeme dissoluit exercitum: Veneti uero hanc nacti occasionem, quam sibi cælitus datam arbitrabantur, nihil ultra cunctandum fore existimantes, mox per hyemem suas copias eduxere, et Vicentiam primo aggressi nullo negotio adepti fuere: parique modo Rhodigium, et alia Polixeni loca, quæ ad Ferrariensem defecerant adepti sunt. Liniacum uero a militibus Cæsarianis præsidij causa positis diu deffensum est; sed quia multitudo hostium urgebat, etiam uicus inferior in eorum potestatem uenerat. Quidam Nicolottam arcem Venetis prodidere, eoque modo Liniacum receptum est eiecto Cæsaris præsidio. Hinc profectus Venetus Veronam petijt castraque posuit, non sub ipsius Vrbis mœnibus, sed remotiori inde loco tentaturus, ut erat omnium opinio, si ad deditionem priusquam oppugnari urbs cepta esset, trahere posset Oppidanos, quod minime euenit; nam erat Verona non modo Germanorum, atque Gallorum fulta præsidijs, sed et Ciues ipsi in Cæsaris partes proniores, ac omnium commeatuum genere abunde exsuperabant. Locum urbis, quam Citadellam uocant ad deffensionem Oppidi habebant Germani: cætera Galli deffensabant, utrobique erant mixti Veronenses: quare nec oppugnari nec obsideri facile uidebatur Verona, uiuis robus sic existentibus interim

bellici

bellici tumultus in Foro Julio minime continuerant, nam egrotanti tunc forte Francisco Capello Prefecto, et Venetias valetudinis causa regresso suffectus est Aloysius Delphinus Vir impiger, qui adeptus Pretura nil tamen in Patria Fori Julij, in qua plures menses fuerat, memorabile gessit. et quamquam validissimas cum equitum, tum peditum legiones habere, quibus si libitum esset de summa rerum decertare satis superque potuisset: nunquam tamen ausus est hosti tota passim regioni palanti se opponere, quare presidiales Cesariani, qui Goritie, et Cormone hybernauerant, omnia Venete Ditionis circum loca incendio, et rapinis uastabant, et pre ceteris uicos, et rura Ciuitatensium, Aquileie quoque, et que Aquileie finitima sunt Castella, Strassoldum, et Porpetum abacta preda incensa sunt: et quoad hic Delphinus Prefecturam gessit, maiori quam antea nunquam clade affecta est tota Juliadum regio a Cesarianis. Nam Christophorus Poitiler Cormonis Preses eductus Boemorum suorum acie, quam Cormone habuerat presidio die quadam uicinos agros excursione uastauit: et addita sibi ex Goritiano presidio equitum ala, et peditum exigua cohorte rus S. Joannis de Manzano infesto agmine petijt, et quod reliquum fuerat superioribus tot cladibus ferro, et igne uastauit,

stavit, et Villicos eius loci, qui se ex tumultu in cam=
panarum turrim trepidi contulerant, ut se eo modo
tuerentur, iniecto igne combussit: alios vero, quos
sors missos fecerat, sclopettis et balistris petitos in=
teremit: perpaucos, qui se dediderant, in vincula
primum coniecit, inde crudelem in modo truci=
dari iussit. Erat inter eos qui trucidabantur sacer=
dos nomine Vincentius patria Ligur, qui se ab ea
clade ad fores Ecclesiæ contulerat, ratus ibi saltem
pietatis intuitu saluti fore locum sacrum. At
Bogmi eadem, qua furebant feritate in eum iner=
mem irruentes, centum et ultra vulneribus con=
fossum sævissime trucidarunt, quod hic apponi
libitum fuit, ut liqueat nullo unquam aut pietatis,
aut religionis amore barbaras nationes cessasse
a sævitia in Italos. Hac edita strage hostiles
Manzanum mox petijt, et captis, quos reperijt, ho=
minibus, nonnullis etiam equis, reliquum ædium
Manzanorum nobilis Familiæ, quod superiori
incendio superfuerat penitus conflagravit, abla=
to primum vino, quod erat ibi plurimum. In=
de iunctis cum Duce Brunsuichiæ copijs Bolza=
num venere, ibidque, et S. Steffani vicum concre=
mavarunt, et hominum quotquot repererunt
captivarunt, et quacumque incedebant viam cæde,
et rapinis omnia complebantur. Facto post hæc

agmina

agmine octingentorum circiter peditum, ac quadrin-
gentorum equitum, etiam eorum, qui Goritiæ hye-
mauerant, adhibitis uiarum peritis ductoribus Ron-
chias uenere fumantes adhuc priori incendio, eas-
que funditus euertere, et prætergressi Orsari-
am, uersus Vadum quod Lupi accolæ appellant, i-
ter direxerunt. Erat ibi Rusticorum manus Ciui-
tatensis Ditionis, qui eo data opera conuenerant,
ut hostibus Natisonem transire enitentibus ob-
starent. Sed ubi hostium multitudinem aduenta-
re uiderunt, ut est gens bello minime assueta, relic-
tis stationibus, nec expectato quidem hoste
mox terga uerterunt. Germanus equitatus eos
insequutus totis passim uicinis pratis, partim
cædit, partim uero capit: nec eorum quisquam
euasit. Iam ea omnis acies dissipata fuerat,
reuertebanturque a prima cæde Germani equi-
tes, cum repente alia Rusticorum manus ne-
scia cladis suorum illuc, ut in mandatis acce-
perat, serum cæteris auxilium uenerat. Hi ui-
sis recenti cæde iacentibus suorum cadaueribus,
et iam de prima acie conclamatum esse, in-
genti pauore conuulsi huc, atque illuc fluctu-
antes fugiebant insequentibus acriter Germanis
equitibus, qui facilius Vilhiros cædebant, quod a-
pertior erat aditus ad eos inuadendos per prata Na-

tisoni

tisoni contiguas: et erant praeterea nullę latebrę prę-
ter fluuij altas, et praecipites ripas, ex quibus plurimi
se in flumen deiecere. Periere nonnulli alluuione
aquarum; qui uero fugientes prata percurrerant,
omnes aut capti, aut caesi sunt: reliqui, quos ripę
ab equitibus fecerunt incolumes, deum per loca de-
uia reptantes inter dumos et scopulos salutem petiere
aut latitare student, à Boemis peditibus ac si essent
ferę, sclopettis appetebantur ac miserrime caedeban-
tur. Eo interempti die sunt homines ad centum
uiginti ex Rusticis ipsis, qui uicos proximos Brazi-
am, Iolanum, Caternum, Crescentum, et Ronchias
inuoluerant: quare pagi ipsi, ipsis ultoribus destitu-
ti omnino fuere. Haec omnia sub Delphini Veneti Prę-
fecti oculis, qui nec in aciem educere, nec uaganti
per otium hosti se opponere ausus erat gestae fue-
runt. Sed et insuper Germani spreta quasi per lu-
dibrium Veneti ignauia progressi ulterius pagos
omnes propter Aquileiam depraedati primum, igne
deinde iniecto combussere, et inter caetera Ceruinia-
num, eique adhęrentem insulam, Strasoldi quo-
que, et Porpetti castra, nec non multi penes Uti-
num pagi, armentis cuiusque generis spoliati,
et prę̨da abacta igne cremati sunt: quin et ex-
cursiones factę sub ipsis Utinensis Urbis mœnibus:
et in portis tantus uel pauor, uel ignauia Venetum

invaserat.

inuaserat. His cognitis demum Senatus Venetus mox decreuit hostium audaciæ obuiandum esse, copiasque suas citius educendas. Quare comparato Ruralium exercitu Delphinus ipse Præfectus, ac una Balthasar Scipionis Senensis, et Antonius Sauornianus Legati Cormonum proximum Oppidum petiuere. Accolæ audito hostium aduentu, nec se in suburbio tutos credentes, superius in Castrum se contulerant, ibique, ubi locus erat tutior, hostes pugnaturi expectarunt. Veneti igitur Præfecti uacuum deffensoribus suburbium ingressi, locum, quem Centam uocant, ad oppidi instar uallo, et fossa munitum depredati primum sunt, igne subinde coniecto concremarunt. Periere eo incendio pulcherrima quidem ædificia, nec ex tot præclaris ædibus reliquum quicquam fuit præter forum, et quæ foro proximæ erant ædiculæ quatuor. Laborarunt maxime eo incendio Manatorum ædes, et funditus euersæ fuerunt ob iram quamdam, et odium, quod cum priuato hoste habuerant. Direpto suburbio Veneti ad Castrum superius aciem instructam direxerunt; sed Cormonenses, crebris balistrarum, sclopettorum, et catapultarum ictibus eo retrocedere coegerunt: recedentiumque extremam aciem ingressi persequuntur, deturbantque, et in fugam conjiciunt: et nisi paucitatem suorum uererentur, ulterius processissent: eaque die ingenti aliqua clade

clade Venetum affuissent. Regresso post hec Utinum ex-
ercitu Veneto res utrinque quiete fuerunt ad proximum
Quadragesimale tempus, quo Veneti vati Cormonem om-
nium appetere, adito Senatus Consulto censuerunt Patres
Delphini, Baltassaris et Savorniani esse Cormonem omni-
bus copijs mox aggredi, nec inde regredi, nisi eo Oppido ca-
pto, et funditus diruto; erat namque in cervicem to-
tius Regionis acerrimum pro Cesarianis telum: et ea de
causa omnes belli conatus eo divertere. Profecti igitur
Veneti coactis in unum copijs cum Stipendiariorum,
tum Militorum, lustravint Exercitum omnem: eadem-
que die iter ingressi Jacendanum venere, et sequenti
luce motis castris, dum omnes opinantur Cormonem
expugnatum iri Vipulzanum versus aciem direxere,
eo consilio, ut capto Vipulzano, quod Cormonem inter, et
Goritiam medium situm est, Cormonensibus omnem
auxilij spem adimerent, foreque ut spe salutis destitu-
ti Cormonenses deditionem mox facerent. Aggressi
igitur Vipulzanum nec presidio, nec natura loci vali-
dum, nullo negotio illud adepti sunt Veneti: et quia res
bene successerat ulterius progressi, ut loca collium pro-
ximorum, in quibus Oppidula nonnulla sunt, adipisce-
rentur, aciem contra S. Martini Oppidum, quod indige-
ne de Cusca vocant direxerunt; Sed quia colles inco-
lunt homines Sclavi agrestes ut lingua, ita et genere,
illi in unum collecti impetum ex locis superioribus in
Venetos equites, qui precesserant, in ~~[illegible]~~ fecere: e-
osque a fronte, et lateribus acriter invadentes urge-

bant:

bant: quare equites ipsi uidentes equorum suorum usum
inter saltus illos, uepresque, ac colles sete, ut erant inu=
tiles, recepere se primum, deinde urgentibus Stradiotis in
fugam conuersi sunt. Equitum fuga peditum agmen
pauore perculsit. quare fugientium potius, quam re=
cedentium more Gradiscam regressæ sunt Venetæ copiæ,
quarum non sine eximio dedecore Cæsariani relicto Ve=
netorum præsidio Vipulzanum mox recepere: quibus ita
gestis tranquillæ aliquandiu utrobique fuere res, uide=
baturque post tot belli procellas serenatum iri. At Vene=
ti reuocato Venetias Delphino Ioannem Victurium re=
rum gestarum gloria insignem Virum sufficere. Ere=
[?]ctum extra sortem, quia ita erat Senatui placitum.
Victurius igitur mox Venetijs in Forum Iulium recessit,
quem Iuliadæ ipsi alacri animo, ac ingenti omnium læ=
tissimo sensu complexi sunt, certam namque spem de eiusdem
uirtute conceperant, sibique receperant eius ductu, atque
auspicijs bellum illud felicem exitum habiturum. Nam
Victurius ceteros omnes illius ætatis Duces, uel pacis,
uel belli artibus, aut superabat, aut æquabat: et erat
præterea comis, ac largus Imperator, et ea de causa
militibus maxime gratus. quare ut primum in Patri=
am uenit, diuerso a priori modo rem gerere ratus Gradi=
scam concessit habitatum, ibique belli sedem esse uo=
luit, ut uiciniori ad hostes loco, et si res postularet, obes=
se hosti posset, et laboranti patriæ mature prodesse. Inde
igitur quotidie armatus in aciem prodibat cum hoste
prælio decertaturus, et cum nemo obuiam exiret, uicina
hostium

hostium loca Goritiam usque prædabundus excursabat: et tandem clade aliqua Germanos afficeret, die festo Sancti Martini partem suarum Copiarum cum peditum, tum maxime Equitum amnem Sontium transnare, ubi Moniza dicitur, ac inter dumos, et uicina nemora latitare mandat, quoad signum dedisset euadendi. Ipse interim cum reliquis Copiis prope ripas fluuij eodem, quo priores modo latuit inter uepres: et ita effecerat, ut suorum paucitatem hostibus ostenderet, ratus Goritienses spreta, quam uiderant, Venetorum paucitate, elici posse ad certamen ut euenit; nam Goritienses uisis perpaucis equitibus qui se ante ostentauerant, et prædabundi excurrebant, continuo lapsi ex Oppido nullo militantium more, sed palantes, ut sors dederat, in Venetum equitatum irruerunt: at illi fugam simulantes, quasi se in Sontium præcipites conjicere ex pauore uellent, confinxerant. Goritienses acrius instabant, sequebanturque agmina incondito uictores, donec ad loca insidiarum uentum est. Tum Joannes Victurius dato suis signo omnes in aciem ex latebris prosilire, ac Cæsarianos improuiso pauore perterritos undique circumdant, et reuersi Equites Veneti, qui paulo ante fugam simulauerant, acriter urgent, et terga dare coguntur. Capiunt nonnullos, plures obtruncant. Sequuntur suos equites Venetæ Cohortes, ac pari impetu in pedites Goritianos irrumpunt. Erant Veneti Pedites numero non amplius trecentum: recepere se Germani ad Molendinum, quod Sontio adiacet, quo ubi uentum est,

fretis

freti situ loci, quod erat muro, et regulis conditum, sistunt Goritienses, Venetisque oppugnantibus se opponunt. Pugnatum ibi aliquandiu fuit incassum a Venetis conantibus locum inuadere. At Victurius timens ne Goritiani suis prodirent suppetias, nam uicini erant, dato signo suos reuocauit, ac Tradiscam reuersus est. Cæsi, aut capti ea pugna ex Germanis sunt ad centum homines: ex uictoribus duo tantum cecidere ad Molendinum, ubi stetisse Germanos facti sumus. Perterriti aduerso eo bello Germani ad multos dies tenuere se Castris; Rostiler uero, qui Cormoni præsidio erat, uicina omnia Venetorum loca cladibus quam maximis interim afficiebat: Pestis quoque, quæ superiori anno Cormonem, atque Goritiam magna lue inuaserat, eadem tempestate Austriæ Ciuitatem, atque Vtinum pari clade afficiebat. Erat is annus ab ortu Christi undecimus præter millesimum quingentesimum, quo non Optimates solum, sed et Plebs cetera Ciuitatis Austriæ ingenti intra Vrbis moenia morbo laborabant, hominesque passim moriebantur: extra uero non pagus modo, sed nec domus quidem libera erat incendio. Hostes omnia concremabant, quæ abigi non poterant, quod effecerat, ut nullus extra Ciuitatis muros locus esset tutus, quo se infecti morbo reciperent, animumque relaxarent a cætu tot morientium, ac saluti suæ saltem abeundo consulerent. Quare lues illa quasi ignis repertâ, in quam grassetur, aridâ materiâ flammas suas emisit, et in cunctos homines sæuiebat. Sed eam calamitatem augebat id, quod si Ciuitatenses exirent

sent evitaturi pestilentiam, aut ipsi hosti præda fuissent, aut Civitas nuda deffensoribus mox in hostium potestatem venissent; nam Bostiler fere quotidie sub ipsis mœnibus incursabat: quare miseri Civitatenses inter Scyllam positi, et Carybdim non nullo calamitatis genere laborabant. Accidit vero, ut die, quæ Divi Joannis Baptistæ Festum præcesserat, Bostiler ipse cum Boemis, quibus præerat trecentis, militiisque ducentis, ac centum equitibus prædabundus exiret, latiusque vagando ad usque Basaldiellæ et Jamardenchiæ pagos veniret: quod cum Victurio innotuisset, mox adhibitis ad consultationem Balthassare Scipionis, et Theodoro Burgense communi assensu statutum fuit agredi Oppido, hostemque invadere. Agitur præmisso equitatu tercentum equitum, totidemque Peditum cohorte subsequente ad Manzani pagum primum venere, constitereque donec certiores fierent, qua tetendissent hostes, nam etsi exisse eos Cormona novissent; non tamen sciebatur quorsum ivissent: et cum ab accolis loci rei ignaris certi nihil afferatur; Victurius ipse ratus hostes petiisse pagos circa Aquileiam, suas copias Tapoglanum versus adducebat: et iam Bolzanum inter, et Visoneum pervenerat, cum repente datur signum ab iis, qui hostium adventum speculabantur ex summo, qui prope est vetus Manzani Castrum montis apice Germanos hostes adesse; videbant enim abigentes rerum omnium ingentem prædam. Ad signum itaque positum a speculatoribus ad

eam,

eam, qua hostes ueniebant, partem, ut ordo datas fue-
rat reuersus Victurius, oculos intendebat sepissime,
ut ex nutu, et signis speculantium uiam hostium no-
sceret, qua cognita cum omnibus Peditatus, et equita-
tus copijs Bolzanum mox uenit: ibique instructo agmi-
ne ea, qua hostes uenire nouarat uia, iter aggredi-
tur seruatis ordinibus. Prçibant utrinque Rorarij (ge-
nus est militum leuis armaturç, qui instructum
prçcedunt exercitum, primique leui certamina ho-
stes missilibus lacessunt, indeque ad suos celeriter
se recipiunt uix uiso hoste. unde et nomen esse sor-
titos Festus ait Rorarios, quod ad modum roris prç-
cedentis futuram pluuiam leuiter manus conserunt)
Hi edita inter se, ut assolent, leui pugna, qua per-
pauci uulnerati sunt, pauciores cecidere, se celeri
cursu inter armatas suorum acies utrinque recepe-
re hostem adesse nunciantes. Tum se uterque
exercitus ad iustum prçlium parabat, Duces aderant,
hortabanturque suos milites, uti nouiter rem ge-
rerent. Iustior Veneto causa uidebatur, quod in
Prçdatores rerum suarum arma sumpsissent: Ger-
manus Venetorum ignauiam multis antea prç-
lijs expertam exprobrabat, monebatque ne uicto-
res ipsi toties uictos pauerent. His exhortationi-
bus ad pugnam procedebant infesto agmine: et
qui prçibant utriusque exercitus equites in agro
Manzani obuij sibi inuicem facti pugnam iniere.
Acriter ibi pugnatum est, incerta primum uictoria:
uerum quia longe maior Venetorum equitum ur-

gabat

gebat numerus, Germani loco cedere coacti sunt, san-
que Sui suos pedites recipere, ubi recepto animo, ac in-
structa acie Venetum pugnaturi denuo expectant.
At Germanus Equitatus equestri pugna semel pul-
sus ad Pedites quoque terrorem attulerat, quare ad
primum teli iactum soluta acie terga dedere. E-
rat, priusquam pugnatum fuisset ad incertos casus
Vikitorum ingens numerus a Victurio Duce instructus, ac locis
opportunis oppositus, ut vel suos, si res ferret prelio laboran-
tes adiuvaret, vel ut Germanis victis, ac fugientibus ob-
sisterent, et viam occluderent. In hos igitur ira plenos
ob acceptas superioribus prelijs clades cum incidissent Ger-
mani Pedites fugientes, ut erant ex fuga incompositi,
et fusi, capti, et trucidati sunt. Equites quoque, quos Ve-
netus Equitatus acriter insequebatur, circumuenti ad
unum omnes capti, aut cesi fuere. Cecidere in pratis
Manzani non procul vico S. Laurentij breui temporis,
ac loci spatio Germanę Copię ad quadringentos numero,
et ultra, ut vix cladis nuntius superesset. Ex victori-
bus unus tantum ex Equestri ordine perijt, vulnera-
to acriter Aloysio Portana ex Vicentinę Ciuitatis nobili-
ori familia, cuius casus effecit, ut Ioannes Victurius
in Germanos victos seueriorem exercuisset victoriam:
id, ut creditum est, Deo permittente in ultionem im-
merite cędis Presbiteri Vincentij, quam ad Culasij fo-
res Bogri, ut diximus centum vulneribus trucidaue-
rant, indeque mors eius innocens noxio Bogrorum

sanguine

sanguine porentata est. Sic crudelitati suæ finem impo-
suit Postiler, uulneratus capitur, et Venetias in uinculis du-
citur, ubi diutino carcere mancipatus meritas suæ sceuitiæ
pœnas luit. Deleto ea uide hostium quod Goritiæ, et Cormo-
ne fuerat, non omnia solum contermina loca tuta fuere
ab incursionibus, sed etiam patebat iter uictori Duci Vene-
to, qua uellet commeandi nemine obuiam hoste prode-
unte, quare Goritienses, et quidquid erat Goritiensis
ditionis ad usque Tergesti mœnia crebris incursionibus
inuadebat Venetus, hominumque, et animalium, ac re-
rum omnium prædam per otium abigebat; quare pa-
uorem ingentem etiam ijs, qui se Oppidis tenebantur, in-
usserat. Nec erat interea in Istris pacatum quidquam.
Iustinopolitani, et Alingenses contra Tergestinos conti-
nuo præliabantur, enitentes uter campo potiretur, ac inter
ceteras clades totis apud Pisinum uiribus pugnatum
est. Permulti ex utraque acie cecidere: inter saucios
potius Liburnus Christophorus de Frangipanibus Germanus Præfectus
uulnere in faciem affectus est: quare incerta ui-
ctoria utrique abiere. Grassabatur interea, ut
diximus, tam Utini, quam in Ciuitate Austriæ ingens
morbus, cuius causa effectum est, ut nullum exte-
rius prælium extiterit; nam nec hostes accedere,
ne lue afficerentur tutum sibi existimabant, nec
qui in campum exiret uidebatur morbus reliquisse.
Arbitrabantur homines Deum Optimum Maxi-
mum belli ueterem cladem noua pestilentia abstu-
lisse, quasi uellet ipse humanos reatus ulcisci hac,

uel illa

ual illa luce; nam cum diversis modis delinquant homines, pœna etiam delictorum debet esse diversa; recta enim est Divina Iustitia. Hæc interim grassante apud Iuliadas peste, res aliter gesta fuere. Non procul Verona Venetus castra posuerat, indeque repentinis incursionibus loca proxima infestabat, crebroque ad ipsas Veronæ portas, ubi Germanum erat presidium, infesto agmine procurrebat: fiebatque ut Germani egredientes multoties collatis signis cum Veneto prælium inirent varia inter se victoria. Elatus igitur Venetus, quod proximis diebus tumultuaria pugna Germanos intra mœnia compulisset, castra propius quam antea solitus erat, Civitatem adduxit, ut Veronæ turres et mœnia bombardis et machinis facilius appeteret. At Galli, et Germani, qui pariter presidio erant, capta densissimi nimbi occasione, Verona nocte intempesta sub strepitu cadentis a cœlo maximæ pluviæ, qualis solet Virgiliarum occasu, egressi nullo tumultu Veneta castra repente aggrediuntur, cæduntque quos somnus, et pavor oppresserat: reliqui in fugam conversi sunt, totusque exercitus, aut fusus, aut cæsus esset, ni Citolus Perusiensis, qui cum suis procurrerat ad tumultum hosti se opposuisset, cedentiumque ordinem composuisset. nam Citolus ipse acriter dimicans, non solum hostes cæde maxima affecit; sed pedem quoque referre coegit. Cecidit eo certamine Citolus ipse iam victoria ostenta. Huius cladis causa fuere vigiles

Veneti

Veneti, qui custodiam urgentis nimbi impatientes deserue-rant; stetit tamen ibidem pluribus inde diebus. Vene-tus exercitus, nec ea clade perterritus discessit, Vero-namque leuibus quibusdam oppugnationibus pluries fatigauit. Maximilianus interim nil ultra cunctatus su-as copias per Tridentinum agrum, urbesque Feltrinam et Belunensem emisit contra Venetum, nec non et Rex Gallus, prēter Legionem, quam Veronę habebat ua-rias cohortes, nouumque subsidium Mediolano, et Brixia traductum Taruisium iusserat oppugnatum, et iam ut iussi fuerant copię omnes eo conuenerant.

Ad horum famam perterriti milites Veneti, qui Cone-glani, Serraualli, Feltrię, atque Beluni fuerant prę-sidio, oppidis ipsis spoliatis, opibusque, quas potue-rant, ablatis Taruisium celeri gressu, ut hostes prę-irent, Urbemque tuerentur petiuere, quorum quoque uestigia secuti sunt qui Cittadellę et Castri-franchi custodię causa fuere. Igitur Belunenses ad Germanos, qui se iam applicuerant ad Beluni Oppidum deditionis Legatos misere, seque Germa-nis ea lege dedidere, ut Prefecti cum paucis Oppi-dum ingrederentur, ceteris interim copijs extra portas moraturis. Ea igitur data acceptaque conditione Prefecti Belunum ingressi sunt, Be-lunensesque defectionis pęna Aureorum mille quingentorum mulctarunt. Interim uero dum pecunia Prefectis numeratur, qui foris reman-serant milites scalis appositis, ponteque dimisso

omnes

omnes intrauere, ipsumque Oppidum penitus depreda-
ti sunt, ac in uinculis coniectis Oppidanis Virgines multas
uiolarunt, ac mulieres constuprarunt. Feltrum inde profe-
cti Oppidum illud pari clade affecerunt; nam captis, aut
cęsis uiris, quod feminarum erat prostrauerunt, sacras
quoque Virgines omnes nefario incestu per uim uitia-
runt. et ne nullum calamitatis genus foret miseris Fel-
trensibus inexpertum, coniecto igne Oppidum peni-
tus concremarunt, nec a sacris ędibus abstinuere,
quas omnes, preter diui Francisci de Mendicantium
Ordine templum, pari incendio consumpserunt. Sed
nec cetera circum Oppida, ędesque incolumes fuere,
nam quidquid ędificiorum ea passim regione exti-
terat, igne, et ferro consumptum est. Dum hęc ibi
agerentur, Galli, qui tardius prodierant nondum
Taruisium appulerant, quare Germani interim
ne otio tempus tererent, dum sibi in mora es-
sent Galli, animo statuerant ulterius progredi, ac
totam Iuliadum regionem suo subijcere imperio.
Profecti igitur Sacilum sunt, ibique lustrato Exer-
citu, cui prefuerant Christophorus Rauber Labacen-
sis Episcopus, Antonius de Valdana Tridentinus,
Ioannes Ausperger, et Gallus quidam, cui cognomen
erat de Rosa, (ijs fuit a Cęsare tradita belli in Iu-
liadas prouincia) Peditum tria milia, Equitum
uero duo milia reperta fuere. Presenserant Ve-
neti Cęsarianos copias Iuliadum Patriam petitu-
ras; quare mox Antonium Sauornianum dubio

procul

procul Juliadq regionis ea tempestate Principem, per litteras certiorem fecere. Is igitur Equitum clam Utini commorantium mox eduxit, comparauitque Villicorum ex Patriq pagis non contemnendam manum, et instructo, ut tempus, et sors dederat, exercitu, Sacilum, quo hostes aduentasse fama erat, perexit: et cognita hostium multitudine, ac robore, precipue Equitum inuicta manu, se locis tutissimis continebat, nihil se temere hosti objiciens, ne suorum paucitas circumueniretur ab hostibus equitatus multitudine: quod etsi prudenter ab experto Duce, qui suas copias incolumes seruare voluerat, actum esset, non defuere tamen, qui ausi sint dicere, et scriptis tradere, Sauornianum clam conuenisse, ne hostibus obesset. Quod falsum esse ratio probat, nam se tot armatorum militibus objicere cum paucis equitibus, et inermi prope Villicorum pedite, non solertissimi Ducis, ut erat Antonius Sauornianus, sed extremq dementiq hominis esset. Quam ob rem diligentissime intueri debere existimo, qui de aliena fama detrahere cogitant, possit ne esse quod palam produnt; nam aliter mendacij merito redarguantur. Recipiente se igitur Sauorniano, ne suas copias hosti objiceret trucidandas, Cesariani Sacili Oppido potiti sunt. Sauornianus uero, qui a auxilium sibi nec unde foret videbat, nec tutum arbitrabatur hostem aperto campo aperiri, ne a multitudine Equitatus intercipere tur per noctis

tenebras

tenebras regressus Pinzanum Oppidum suum pe-
tijt, et presidio, ut potuit, firmauit dimissis ceteris, par-
tim Vtinum, unde uenerant, partim uero alio, omni-
bus ad lares proprios, ut se muris tenerent, et sua quis-
que tueretur. Dedito Sacilo Comites quoque Purlili-
enses, et Pulinij se tradidere Cesarianis: nec multo
post Patrie totius Optimates, quos Castellanos appel-
lant, idem fecere. Sed et Sauornianus ipse, cum rebus
iam desperatis aliter sibi nequiret consulere, deditio-
nem fecit ea conditione, qua cum Lodroni Comite
nuntio ad id misso a Cesarianis conuentum erat.
Conuenerant itaque, ut Sauorniano ipsi, et cetere
Sauornianorum familie illesa omnia essent, fe-
dusque inter Sauornianum ipsum, et Duces Cesa-
rianos initum perpetuo foret. Post quod factum
Vtinenses certiores effecti cetera loca ad Cesarem
defecisse, ipsi quoque, et cetera simul Regio, et que
se priori bello tutata fuerat Iulia Ciuitas Austrie,
deditionem fecere. Varia erat inter Iuliadas opi-
nio, cur se tam facile dedisset Sauornianus, Vir fi-
de, et integritate eximius. Plerique existimant
id ea ratione ab eo factum esse, quod nec opes ad
bellum, nec subsidium sibi post multum uentu-
rum tempus crediderat: interim uero timere, ne
si Cesarianos magis irritaret, quam lederet, toti pro-
uincie exitium attulisset ab hoste prepotentissimo,
qui iam leuiori de causa Feltrum, Belunum

ceteraque

caeteraque Carnorum loca omnia ferro, et igne deuastauerant. Alij uero aliter credidere, argumentatique sunt Sauorni anum apud Venetum senatum incusatum fuisse seditionis, quod eius non Optimates multi Iuliadę interfecti a plebe fuissent, Vrbsque Vtinea prędę data: et quia accusatio huius reatus uehemens erat, urgebantque causam Optimates ipsi; nec aliud rebantur obstare ad damnationem Sauorniani nisi uim instantis belli, Sauornianum, ut a futuro iudicio se subtraheret, ac Venetos deuitaret, ad Maximilianum defecisse. Superior opinio mea quidem sententia uero proximior est; nam si suspectum habuisset Sauornianum Venetus senatus, non commisisset suę fidei rem tantam, quę regionis unius erat negotium. Sed digrediar parumper, ac seditionis illius, quę meo quidem iudicio insignis fuit, casum breuibus perstringam. Erat igitur annus undecimus supra millesimum quingentesimum, cum die Iouis, quę Bacchanaliorum precedit inluuiem Germanus Equitatus, qui Goritię hybernauerat, ratus aliquid moliri posse, ut uel saltem prędam ex hostium pagis agerent, dum crapulę, et choreis ceteri operam darent, iter Vtinum uersus repentino tumultu arripuerant, ac sub ipsis mœnibus, et in portas Ciuitatis excursione facta Vrbem ipsam ingenti pauore, et tumultu repleuit. Vtinenses uero, ut adesse hostem conspexere, ad arma undequaque concurrunt, armaturque cum Ciuium, tum Plebeiorum non modica manus, et in portis, ac mœnibus se hosti opponit. Hostes uero nil ultra conisi, abacta,

quam

quam poterant ex uicinis agris preda, unde uenerant
reuersi sunt. Utinenses uero ut uiderunt hostilem
Equitatum iam abijsse, egreferebant se ita ab hoste
sperni, ut per ludibrium in suis quasi portis luderet,
culpamque tam audacis hostium facinoris in Castel-
lanos Patrie quidam transferebant: eratque rumor
inter presentes Ciuium, et Plebis armatos, quod Castel-
lani ipsi Cesaris partes sequerentur, et quod clam ho-
stes ad predam exciuerint. Fuerit ne rumor is ue-
rus, an falsus incertum est: illud constat ab huius
sermonis origine, cuius etiam auctor incertus fuit,
in repentinum furorem, ac indignationem illam
Utinensium armatam multitudinem esse conuer-
sam, et sicut est preceps ad facinus, nec consilio re-
gitur mobile uulgus, arma, que in hostes sumpse-
rant in suos Conciues fanatico quodam furore
conuerterunt, ac repentino impetu Turrianos pri-
mum, qui erant Castellane factionis capita, aggre-
diuntur, edesque eorum regio more conditas oppu-
gnant: et quia qui intus aderant, se nauiter tu-
ebantur, adductis ad id bombardis, tecta, et parie-
tes ingenti fragore percutiunt. Tunc qui intus
aderant terrore concussi in fugam se dedere, alij
per arcana ipsarum edium latibula, alij uero per
tegmina uicinarum domuum se precipitantes a-
pud amicos, ad quos confugerant, occuli precaban-
tur. At nudatas deffensoribus edes acies plebeia

irrupit

irrupit, postibus prius conflagratis scalas ascendunt, ad necem quosque perquirunt, rapiunt omnia, et deprædantur, brevique divitiæ, quibus ædes ipsæ regio more affluebant, conuasatæ atque ablatæ fuerunt: dein iniecto igne domus omnis combusta. Multum ibi auri, argentique, ac supellectilis fuisse constat. Sæuitum inde est in cætera, nec sine multa cæde res acta est; fuerat namque uetus inter Castellanos, et Plebem odium. Scripsere de hac re multi, sed an uera omnia perscrutati fuerint, ambigo. Etiam modum, et nomina eorum, qui ea seditione cæsi sunt recensent. Ego ueterum malorum tollendam potius censui memoriam ab hominum animis, ne quieti publicæ obsit recordatio præteriti temporis, quam dum nimis curiose perscrutando omnia incidam in monumenta rerum, quas silere, quam prologui melius est. Sed siquis ea, quæ tunc euenerint scire expetit, ab aliorum potius, quam a meis scriptis expetat. Huius igitur facinoris querimonia ad Venetum Senatum delata suspectum fecerat Sauornianum, et quia Plebs Utinea eius semper factionem sequuta fuerat, et quia superiori tempore ~~contentiones~~ contentiones sibi cum Castellanis extiterant, de hac re, et de illa Urbis Utinea depredatione aliter scriptum a Ioanne Candido Iuris Interprete, atque elegantissimo rerum scriptore, ni fallor, me legisse memini; sed utcumque sit res

ita se

ita se habuit. Noua insuper calamitas hisce ferme diebus accessit ab immenso motu terræ; nam eodem anno septimo Kalendas Aprilis, ut mortalibus innuerent quantopere displiceret Deo Optimo Maximo ea scelerum lues, terræmotus maximus extitit a Gallia Cisalpina, quam Longobardiam nuncupant, in ceteras Italiæ regiones, usque ad has, et uiciniores Germaniæ partes. Conquassabantur primum, ruebant deinde ædes magnificæ, Turresque. Laborauit præ ceteris Glemona, et Ciuitas Austriæ; nam in eis quotquot altioris ædificij domus fuere, penitus corruerunt. Collapsum quoque est Tulmini Castrum, et domus inferioris Curiæ, Fana etiam, quæ in montibus erant, funditus corruere: multi quoque mortales illis ruinis periere: ceteri, qui superfuerant tanto pauore concussi sunt, ut per diuerticula fugientes in locis patentibus sibi domicilia construerent: alij in hortis, aut uiridarijs, in pratis quoque, et plateis tuguria sibi, et mapalia ex pellibus, aut stramine, pannis etiam lineis, ac laneis erigebant, quibus deerat materies sub dio cubabant. Pluribus diebus, quibus crebro, et repentino motu terra concussa fuit, in maximo semper metu fuere miseri mortales tot simul cladibus, hinc ab humano hoste, hinc uero a Diuina Ira appetiti: Urbes quoque, et Pagi habitatoribus uacui uidebantur, et iam obortis rubis tegebantur: Fori autem tanta erat solitudo, ut

nemo

nemo fere eo commearet. Sed ut revertar eo unde di=
gressus sum, Utinates, et tota simul Iulia da Regio a
Venetis defecit ad Caesarem, ac Praeses Utini tunc primum
creatus est Meander Foroiuliensis, vir factis, et genere
clarus, qui Iuliadas, ac Regionem omnem iustitia
moderaretur. In Austriae vero Civitate Praesidem
constituere Caesareis Consiliarijs non est visum, tunc
maxime quod vehemens pestilentia totam passim
urbem invaserat, nec domus fuerat, quae funesta
non esset. Cum igitur tota Fori Iulij Patria defecis=
set, ut diximus, ad Caesarem, solum Gradiscanum Op=
pidum in fide remanserat. Erat ibi praesidio Aloysi=
us Mocenicus Praetor, habebatque Pedites trecentos, equi=
tes vero nonnullos. Igitur Caesarianus Exercitus Gradi=
scam infestis signis appetijt, et obsidione posita Op=
pidum a porta, quae Romansium prospicit, et ab ea,
quae est Sontio proximior versus Occiduas amnis ri=
pas positis aggeribus ingenti bombardarum impetu, et
fragore concutiebat. Praesidiales autem videntes se tu=
eri non posse, et amissa iam tota Patria sibi tutum
nullibi esse locum, nec auxilium aliunde futurum
existimantes, agere inter se coeperunt de tradendo
aequis conditionibus Oppido. Eaque per nuncios
Caesarianis Ducibus innotuerunt, quare huiusce
rei Provincia Antonio Savorniano, qui post amis=
sum Forum Iulium continebat se in Exercitu Caesa=
riano, tradita fuit. Is ita conditiones tulit: ut Venetus

Praefectus

Praefectus, caeterique Praesidiales tradito Oppido Germa-
nis incolumes quo vellent Gorizium abirent, quod cum fi-
de ab utroque perfectum est: quare paruo, aut nullo ne-
gotio Germani adepti sunt Gradiscam Oppidum sane
validissimum, ingenti ForoIuliensium dispendio con-
ditum ad Sontij ripas, mandantibus Venetis, ut ingressum
Turcis in Italiam ea prorumpentibus vetarent. His ita
actis Germani, Gallos, qui iam Taruisium coeperant ob-
sidere, per literas, et nuncios certiores fecere, uti soluta
mox obsidione Forum Iulium ad se se peterent, qui sta-
tim venere, et iunctis agminibus Osopium montem,
in cuius iugo Oppidum est eiusdem nominis validis-
simum, pergunt oppugnare. Erat ibi Hieronymus Sa-
vornianus Vir genere, et magnitudine rerum gesta-
rum clarus, qui ut vidit totum Forum Iulium ad
manus hostium devenisse, et omnem belli molem
in se unum converti (nam solus ad eam diem in
Venetorum fide remanserat) agere coepit quonam
modo se, et locum ipsum servaret ab infesto hoste;
quamobrem per Legatos actum est, ut Savornia-
nus acceptis vadibus tuto primum in Castra hosti-
um, inde quo vellet ire posset incolumis. Igitur
ex Castris ad Caesarem in Germaniam iuit, a quo sum-
mo honore acceptus est, nec quid egerit cum Caesa-
re constat: inde per media hostium Castra tutus,
ut convenerat, reversus, Venetias venit ad Sena-
tum, a quo nonnullo honoris genere receptus dona-
tusque Palazzoli vico, qui secundum Arearum

Castrum

Castrum situs est: et ab eodem Senatu preterea ad summos Magistratus, et dignitates sicuti eius facta, et merita postulabant, assumptus. Post hec Cesariani adeo demum Opopio inmixti Gallis Forojulium reperiunt oppugnaturi, sed quia Urbs ipsa, et loci situ, et Presidiariorum virtute contra omnium opinionem diu obstiterat, viriterque se tutata fuerat, et hostes preterea spe decidissent eam captum iri, ac diutina ibi obsidione tempus tererent, re infecta exercitus solutus est, et Galli Cisalpinam Galliam, Germani vero Germaniam rectà petiuere. Venetus Senatus, ut hostem abijsse comperit, statim elatis signis Legiones suas, que Patavij hybernauerant educi mandat auspicijs Ioannis Pauli Gradonici, cui addicti sunt Gentias de Cere ex Ursina Romana familia Peditum Prefectus, et Vitelius oriundus a Vitellis Romanis, nec non Balthassar Scipionis Legati, alijque nonnulli veterani Duces, qui omnes pari sententia Forum Iulium adiuere. Iuliadg vero iam hostium metu liberi Venetas Legiones ilari animo recepere, et missis Legatis deditionem maximo omnium populorum assensu fecere, preter Gradiscam, et Ventionum que validissimo Germanorum presidio tenebantur. Quare Venetus Imperator diviso exercitu copiarum partem Gradiscam, partem vero Ventionum misit oppugnatum, et cum divisis copijs parum roboris esset, levis utrobique fuit oppugnatio, et nihili rei quid actum est, quam

ob rem

Marginal note: ... relicto, nihi... animo constat a... ceptum fuisse

ob rem Tredonius coniunctis iterum copijs aciem Ventionem versus primum dirigit Oppidum illud totis viribus oppugnaturus; at qui loci pręsidio fuerant Germani tanta in se versa belli mole perterrito Oppido prędę dato, abductisque Glemonensium Civibus nonnullis, qui secum fuerant, quasi obsidibus, fugientium magis, quam abeuntium more discesserunt ac Clusiam, et Pontabiam adiuere; quare mox dedidere se Ventionenses tradito Venetis Oppido. Cum inde Gradiscę capiendę cura Venetum Ducem angeret ut Germanos tota pallim regione Juliadum expelleret, contineretque trans Sontij amnis ripas, et montium alpes, Exercitui confestim profectionem edixit, et citato agmine Gradiscam adijt, castraque loco idoneo metatus, Gradiscanos, ut se dederent, per Legatos flagitavit, quibus negantibus Oppidum bombardis appetijt, murosque ab ea parte, quę meridiem aspicit, a porta inferiori adusque Sontium diruit, ac solo ęquavit; agger tamen, qui pręaltus post muros ejus erat, non facillimum enitentibus ingredi prębebat aditum; nam nec scalę pręlongę eius summitatem queunt attingere, sed et insuper Pręsidiales strenuiter tuebantur, hostem ascendentem ad imum deturbabant, multos dejiciebant male affectos in fossam, plurimos occidebant: quare frustra tentato ingressu Venetus post quinquagesimam a Castris positis diem obsidionem soluit; nam et hyems instabat, ventique,

et pluvię,

et glacie, ac niuibus omnia circum loca complebantur. Exercitus igitur diuisus per loca in Foro Iulio hyemauit, quod regionem ipsam tot cladibus iam affectam nullo non calamitatis genere affecit; Nam graue fuit Prouinciæ tot bellis attritæ, et incultæ tantum exercitum alere. Ad famam uero solutæ obsidionis, nec captæ Gradiscæ, diuitias subtristem uisum tulisse Senatum Venetum, respondisseque Pretoribus, quibus ea prouincia demandata fuerat, se purgantibus quod nihil ea obsidione egissent, se non satis posse mirari quomodo stupea fuerit Gradisca, cum in Veneta esset ditione, et posteaquam ad hostes transiuisset ferrea tota esset effecta, quo pręeleganti schemate, et suorum Ducum inertiam eludebant, et hostium uirtutem tacite commendabant. Receptâ itaque pręter Gradiscam totâ Iuliensium regione a Venetis, non tamen res omnino quietę fuere, nec ab excursionibus cessatum est; nam hinc Cęsariani, qui Gradiscę et Goritię locisque finitimis erant, hinc uero a Venetis incendia multa fiebant, prędęque abigebantur, nec quicquam per inducias, quę pluries indictę fuerant, quietum uidebatur, quia etsi milites utriusque factionis nihil hostile gessissent, Rustici tamen, qui per agros foris incolebant, sępe inter se tumultus excitabant, captiuabantque se mutuo, et rixabantur inuicem acriter, ut se mutuo uindicarent ab acceptis superiori tempestate iniurijs. Sed quia cer-

tamina

tenuina ucrius, quam et rixę, quam pręlia fuere, omit-
tenda censui tamquam leuia. Interim uero non-
dum edictis, quas pepigerant inuicem, inducijs, an-
no supra millesimum quingentesimum decimoter-
tio noua Caesarianis oblata est Marani capiendi occasio.
Est Oppidum illud in Foro Iulij ad litora maris Adriatici
conditum: condidisse, ut perhibent Romani, nomenque a
Mario Consule indidisse; at ego nomen a mari, cui adeo con-
tiguum est, potius datum crediderim: eratque olim Im-
portuum rebus maritimis; nuper uero Veneti fossa ual-
loque munierunt, ut esset Iuliadis a mari pręsidium.
Tenebat tunc hoc Oppidum Venetus Pręfectus negli-
gentiori, quam par erat custodia; nam et in statio-
ne portarum perpauci excubabant, et pręsidium
intus minus firmum erat; nec mali quicquam
suspicabantur custodes: et quia iam tota Iulia re-
gio ad Venetos defecerat, et quia inducię, licet non-
dum indicatę, promissę tamen hinc inde fuerant;
et pacem ex inducijs mox futuram omnes autu-
mabant. Eam igitur nactus occasionem quidam
Presbiter Berthulus de pago Morteliani, qui non
procul Marano situs est, clam egit cum Comite
Christophoro de Frangipanibus, ut Maranum pro-
deret. Igitur eodem anno pridie idus Decembris
is Presbiter Berthulus diluculo, nec dum clara
luce ad Oppidi portam festinus accessit, paucis co-

mitantibus

mitantibus, inter quos erat Christophorus ipse mentito Rustici habitu: et euocatis custodibus, quibuscum Presbiter necessitudinem quamdam habuerat, quasi negotium sibi aliquod esset, petijt reserari. Custodes, qui et pauci erant, et mali ab amico homine nihil suspicabantur, nulla interiecta mora portam demisso ponte aperuere. Tunc Comes, et qui cum ipso erant ingressi saccos salibus, carnis, quos dorso ferebant, deiectis, in Custodes impetum faciunt, ipsique equis pontem, ac portam tenuere, quousque ualidius presidium cum peditum, tum equitum, qui ad eam rem latuerant locis proximis superuenerat: et facto repente impetu, Oppidum paruo, aut nullo negotio ceperunt: captus quoque, et in uincula ductus Prefectus Venetus. Ea res bellum, quod iam sopitum uidebatur, exciuit, nouasque calamitates, ac strages regioni Italiae attulit. Veneti, ut locum reciperent curam omnem apposuere, uidebant namque nullum commodius sibi esse ad totius regionis Defensionis Oppidum, quod hinc a mari, hinc uero a terra abluatur, breuique cursu Venetijs subsidia apportari possunt Maranum, nec ullo gitu impediri: ob idque Oppidum illud terrestri, atque nauali oppugnatione circumdata aggrediuntur: tormenta Bombardis ac omni missilium genere agitant. At qui intus erant Caesariani, auspicijs Presidis Christophori Stahauseri se acerrime tuebantur:

tur: locumque ea mente defensabant, ut Oppidum aliquod prope Venetias haberent. Nam Cesar nihil paruum animo conceperat; sed quonam modo Vrbem Venetam ipsam inuadere posset animo agitabat. Tanta in Venetum nomen erat ira accensus: eaque de causa Maranum queri iusserat, et undequaque muniri. Et quia ob loci situm oppugnatio difficilis erat, ad obsidionem Venetus se conuertit, et diuturna obsessio Maranenses in discrimen, et ad maximam Annone, rerum omnium inopiam iam adduxerat. Quibus Christophoro Frangipani nuntiatis suppetias suis ire constituit, comparatoque Liburnorum, et eorum, quos ex Styria, Carniola, et Carinthia exciuerat, militum exercitu, additisque Goritianis Ruralibus ad soluendam Marani obsidionem profectus est. Veneti obsidentes audito hostium aduentu, titubare primum, inde soluta mox obsidione fugientium potius, quam abeuntium more loco cessere. Quam ob rem Maranum sub Cesaris fuit Imperium ad hanc, qua nos sumus, etatem, quam ope Petri Strozzij, qui in Francorum Regis auspicijs Francisci in Carolum Imperatorem militauerat, ex insidijs captum, ac Veneto restitutum anno demum quadragesimo secundo supra millesimum quingentesimum fuit.

Hanc Historiolam ego Basilius Asquinius C.R.S. Pauli excripsi ex uetusto quodam Codice innumeris fere

mendis

mendis scatente, et etiam quoad scripturam e-
mendavi, integro sensu relicto. Anno 1739 —

BIBLIOTECA CIVICA DI UDINE